



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita P. Camilli De Lellis Fvndatoris Religionis Clericorvm Regvlarivm Infirmis Ministrantivm

Cicatelli, Sanzio

Antverpiæ

Liber Primvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37267**

VITÆ  
 P. CAMILLI  
 DE LELLIS  
 FVNDATORIS  
 RELIGIONIS  
 CLERICORVM REGVLARIVM  
 INFIRMIS MINISTRANTIVM  
 LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

*CAMILLI natiuitas, patria, parentes.*



CAMILLVS DE LELLIS,  
 primus parens ac Fundator  
 Religionis Clericorum Regu-  
 larium infirmis ministran-  
 tium, natione Italus fuit, patriâ  
 Bocchianicensis, quod exiguum est oppidum  
 prouinciæ Aprutij, in Regno Neapolitano,  
 sub diœcesi ciuitatis Teatensis: qui populi  
 bellicosi antiquitus Samnites dicebantur.  
 Natus est autem vigesima quinta Maij, an-

A no

no Iubilei, nimirum millesimo quingentesimo quinquagesimo, Pontificatus IULII III. primo, tenente vtramque Siciliam CAROLO V. Imperatore. Nomen patri fuit IOANNES DE LELLIS, indidem exorto: matri, CAMILLA CAMPELLIO, Lauretana in regione quoque Samnitium: ambo autem inter suos nec postremæ familiæ, nec tenuioris, quàm genus postularet, fortunæ. Ac ille quidem militiam secutus, aliquod in armis nomen gessit: fuitque in Caroli V. exercitu (sub quo semper militavit) haud ignobilis Centurio. Legitimo igitur iuncti matrimonio (quod stabilierant Mediolani hinc Ioannes ipse, inde Camillæ frater) qui id temporis apud Marchionem Vasti officium gerebat œconomi) duos filios procrearunt: quorum prior, nomine Iosephus, interiit infans; posterior, qui CAMILLVS est dictus, & de quo hæc instituitur narratio, multis annis à priore partu, & matre iam senio vicina, atque ab omnibus tanquam serendis liberis inidonea atque inhabili existimata, in lucem est editus. Quæ causa fuit, quamobrem populares illam, admiratione noui partus permoti, vulgò sanctam Elisabetham appellarint. Indendi autem puero, dum salutaribus ablueretur aquis, Camilli nomen, nulla alia ratio occurrit, quàm vt matris, quæ tali illum

illum ætate genuisset, felix memoria perennaret. Quòd autem ipsa sancti Urbani Pontificis & Martyris festa die natus sit (quæ dies Bocchianici, propter illius Ecclesiæ titulum, cuncto populo cum vexillis & labaris, & turribus triumphalibus, in publicæ Supplicationis pompam præcedente, multò lætissima est ac celeberrima) videtur Deus ipse iam ex illo voluisse ostendere, quantam huius infantis natiuitas secum inferret mundo voluptatem: à quo nimirum tanta in posterum suo natali solo gloria, & tam immensa toti orbi Christiano vtilitas esset emanatura. Enimuerò si aspectu matris, cæleste quiddam habere visa est Camilli natiuitas, haud minus certè admirationis habere comperietur eiusdem filioli deinceps successus, cum patris sui vita comparatus. Ille in armis à pueritia exercitatus, præliis ferè omnibus, quæ sua ætate in Italia gesta sunt, interfuit. Ac primo quidem anno, quo militiæ nomen dedit (erat is Christi millesimus quingentesimus vigesimus septimus) ad Caroli Borbonij Ducis exercitum se contulit: atque in eo conflictu, quo vrbs Roma CLEMENTE VII. Pontifice, miserandum in modum capta direptaque est, sub Fabritij Marramaldi signis dimicauit: subinde Carolo Scorpioni contra Francorum copias, quas dominus

A 2

Lautre-

Lautrecus ductabat, pro Neapoleos defensione se adiunxit. Duobus autem post annis, rursus cum Marramaldo in obsidione oppugnationeque Florentiæ arma tulit. Inde in tractu Taurinensi, Petrum Aierbensem secutus, in urbium Chieri, Chierasci, & Albæ expugnatione pars fuit: atque etiam in Pinnæ obsessio, & in conflictu strageque Ceresciolana. Atque, ut multa omittamus alia, cum exercitus Turcicus in cladem & ruinam Vesti tenderet, tum Ioannes accersitus à Vincentio Capuano, Duce Termoli, ab eodem quingentis militibus in eadem ciuitate Termolo præfectus est. Denique eo bello, quod inter Paulum IV. Pontificem & Philippum II. Hispaniæ Regem, ad urbem Hostiam gestum est, & cum Ferdinandus Lofredus ciuitatem Truentum propugnaret, & in aliis omnibus istius belli factionibus (in quibus ipse inter pedites erat Centurio) ac se & in armis promptum præstitit. Ex quibus omnibus facile est Domini Dei infinitam potentiam agnoscere, qui scilicet potens est de lapidibus durissimis fuscitare filios Abrahæ; quandoquidem è tali milite, qualis hic Ioannes fuit, qui aduersus Pontificem Romanum non semel, sed sæpius arma gessit, qui que sanctæ ciuitatis Romæ direptioni interfuit; cum è tali, inquam, milite effecit, ut

filius

filius nasceretur diuinæ Maiestati tam acceptus, vt vnus Religionis in sancta Ecclesia fundator esse mereretur. Cuius etiam Religionis initia in eadem ipsa ciuitate idcirco poni voluit, vt quanta illi damna à patre importata fuerant, tanta eidem, atque etiam maiora commoda à filio, per probitatis vitæ exempla, maximeque per exhibenda pauperibus infirmis ac moribundis obsequia, prouenirent.

## CAPVT I I.

*Camilli prima ætas : tibia vulnus : votum ingressus in Religionem S. Francisci.*

**P**Ver cùm esset Camillus, aliquanto tempore ludum litterarium à parentibus frequentare est iussus: sed vix legendi scribendique artem didicerat, cùm reliquum primæ ætatis tempus, chartarum alcarumque lusibus, & ceteris iuuenum vana sectantium nugis deterere cœpit: ac potissimum in publica Eclogarum pastoritarum recitatione (quod ipse feliciter admodum & perquam gratiose præstabat) oblectamentum capere. Postquam verò annum circiter decimum octauum (qui secundus, tertiûsve fuit Pontificatus Pij V.) attigit, tum vitam amplexus militarem ( quemadmodum & alij eiusdem

A 3 fami-

familiæ propè omnes tranfactis egerant temporibus) patrem instituit vnà cum duobus cognatis, quaquauerfum affectari: sed Deo placuit, vt prima expeditione Anconam iter dirigentes (vbi nauigium conscendere decreuerant, vt sub Venetis aduersus Turcas mererent) ibi Camillus ipse & eius pater adeò grauiter corpore affecti fuerint, vt sufferendis militiae laboribus nequaquam pares pro illo statu censerentur. Itaque reuerti in Samnium animus fuit. Qua in reuersione, cum ad S. Lupidij castrum (quod non procul à sanctissima æde Lauretana distat) peruenissent, Camilli pater ingrauescente morbo, intra paucos dies, in cuiusdam alterius Centurionis amici sui & necessarij domo, vita excessit, atque in sancti Francisci templo sepultus est. Non parum autem tam inexpectata mors Camillum conturbauit: quippe non patre tantum, sed etiam matre iam orbatum. Hæc enim haud minus quàm à sexennio vitam prior reliquerat. Incidit porrò in idem tempus alia quædam aduersitas, quæ eiusdem Camilli pectus non mediocriter exulcerauit: nempe sinistram tibiam paruula quidem primò vlceris plaga infestauit, sed qua non diu post curata, in dextram tibiam alia multò maior ad ipsam pedis iuncturam erupit, quæ & deinceps ad supremum vita-

tem-

tempus perduravit. Quarum ego duarum plagarum, & speciatim posterioris, ea de causa peculiarem volui mentionem hinc facere, quod Dominus Deus ea, tamquam instrumento, uti voluerit, siue ad ipsum est lata interitus ac perditionis via educendum, atque in bonam semitam inducendum, siue ad cognitionem nosocomiorum haecenus ipsi incognitorum, eius animae inferendam: verè enim dici potest hinc principium, hinc originem nostrae Congregationis primam fuisse, de qua suis locis opportuniùs dicturi sumus. Talis igitur tum erat Camilli status. Postea verò quàm patrem suum planxisset, ei que iusta persoluisse, iter suum versus Samnium est persecutus. Quo in itinere cum per Firmium ciuitatem pertransiret, ibique propter lentissimam febrem, qua quotidie detinebatur, aliquantisper moraretur, animaduertit, Deo ita volente, duos Fratres ex Ordine sancti Francisci de Obseruantia prætereuntes, qui submissis oculis & magna cum pietatis demonstratione urbem obibant: tantumque confestim ex eo conspectu hausit boni exempli odorem, ut mox dissolutioris vitae salubri mœrore compunctus, eam Deo adiuuante in melius commutare statuerit: sicque illud desiderium subito exarserit, ut in ipso temporis articulo, eius sancti Ordinis ingre-



8 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
diendi votum nuncupauerit: cuius exfoluendi cupidus urbem Aquilam petiit. Erat in ea Conuentus S. Bernardini, cuius ea tempestate tenebat Guardiani munus quidam ex eius auunculis, Frater Paullus Lauretanus nomine, vir eius sæculi non minùs vitæ probitate, quàm doctrinæ præstantia celebratissimus: qui & totius sui Ordinis in Hispania Commissarius extiterat. Hunc adiit: huic suum ineundæ Religionis desiderium aperuit; ab hoc in sanctam suam Religionem suscipi flagitauit. Verùm auunculus, partim quòd minùs bona valetudine eum uti videret, partim etiam fortassis, quòd non existimaret hanc esse Dei vocationem ( probè enim perspectam habebat vitam eius pristinam ) habitum Ordinis non concessit. Hanc igitur repulsam Camillus in occasionem à sancto proposito discedendi assumpsit.

### CAPVT III.

*Camillus Romam petit: in S. Iacobi Nosocomio inseruit: inde fit miles, & multis defungitur periculis.*

CVM in vrbe Aquilâ aliquantisper substitisset, militem minimè decere ratus pedes habere fasciis inuolutos, Romam adire statuit. Quòd appulsus, cùm intellexisset in

S. Ia-

S. Iacobi Valetudinario peritos degere chirurgos, operam suam locauit adiuuandorum infirmorum ministerio, sperans scilicet plagam suam breui negotio illic curatum iri. Verùm postquam menses aliquot inibi perseuerasset, fuit ab Oeconoמו eius loci, cui Angelo Neapolitano erat nomen, dimissus; nec alia de causa, quàm quòd admodum esset cerebrosus, multasq; cum aliis nosocomij ministris rixas concitaret; quodq; chartarum lusui adeò esset addictus, vt relicto sæpiùs infirmorum ministerio, foras ad ludum exiret, nihil pensi habens, quid se absente infirmi paterentur. Huius ergo socordix atque neglectus officij sui crebrò admonitus, cum specimen melioris frugis nullum ederet, tãdem à nosocomij Præfecto, qui nouissimè chartas eius lusorias sub lecti cervical deprehenderat, penitus à Valetudinario faceffere, & res suas habere iussus est. Quocircà inde se, quamuis necdum percuratâ plagâ, exclusum videns, naturaliq; militix desiderio tactus, Romæ anno M. D. LXXIX. inscribi petiit. Propter bellum enim, quod Solymus Turcarum Rex cum Venetis pro Cypri regno tum gerebat, plurimi militix nomen dabant. Ita varia illius Amplissimæ Reipub. loca pereurrens, iam terra in præfidiis Iaderæ & Corfinij, iam mari in naualibus expedi-

IO VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
tionibus, huc illuc per multa vitæ discrimina  
vitam agitavit. Nam in Corfinij quidem  
præsidio, ad Christi annum M. D. LXXI. tan-  
ta degrauatus est infirmitate ( quippe ad fe-  
brim dysenteria accesserat ) vt nihil morti  
crederetur vicinius: sæpenumerò tamen asse-  
teravit, cum se primùm à peccatis, utroque  
Sacramento tam Pœnitentiæ, quàm venera-  
bilis Eucharistiæ, expiasset, confestim se à  
Domino Deo sanitati restitutum. Quæ res  
tantò prodigiosior est visa, quantò certio-  
rem sibi credebat imminere interitum: præsertim  
quòd & curatorem sanitatis suæ neminem  
haberet, & in humillima quadam & angu-  
stissima casa ex paleis confecta, & aëris in-  
iuriis exposita, collocatus esset; & quidem  
tam arcta, vt eum vix intrò caperet. Hac  
distentus inualetudine, nec Christianorum  
Principum aduersus barbaros confœdera-  
torum sacræ militiæ adfuit, & illius victoriæ  
fructu caruit, quam de Turcis Ioannes ab  
Austriâ eius belli summus Imperator, ad  
VII. Octobris multò celeberrimam reporta-  
uit. At consequentis anni expeditioni ab iis-  
dem confœderatis susceptæ minimè defuit.  
Verùm ad manus tunc ventum non est, &  
acie dissoluta Camillus sub Venetorum  
Principatu facere stipendia Duce Iacobo  
Sorano perseueravit. Is cum triginta maxi-  
mis

mis triremibus, quas galeras vulgò vocant, in  
 Dalmatiam ad Varbaguensis propugnaculi  
 (quod Turcæ propter obsidendam Catta-  
 rum ciuitatem struxerant) expugnationem  
 iuit. Hic quoque Camillus periculorum, quæ  
 in ista navigatione subeunda fuerunt, mini-  
 mè expers fuit. Quippe classi Castrum no-  
 uum, fortissimam Turcarum munitionem  
 noctu prætereunti, frequentes tormentorum  
 muralium displosiones ingruere, quorum  
 globi ferrei non pauci proximè, paucisq̃ue  
 palmulis ab eius galea strictim transuola-  
 runt. Peruentum deniq; ad propugnaculum,  
 & bipertitis copiis terra mariq̃ue obsessum  
 est. A mari quidem iam dictus Soranus, à  
 terra verò Prosper Columna & Paulus Vrsi-  
 nus assiluerunt, tandemq̃ue, licet non absque  
 Christianorum sanguine, captum expugna-  
 tumq̃ue est. Porrò in eius obsidione non ra-  
 rò aduertit Camillus milites Italos non pau-  
 cos, partim indignatione, partim fame, cæso-  
 rum Turcarum hepar extrahentes, frixum-  
 q̃ue in sartagine tamquam suauissimum ac  
 delicatissimum cibum auidè deuorantes: ip-  
 se verò à tantâ abhorrens inhumanitate,  
 numquam induci potuit, talibus vt epulis  
 vesceretur, sed solis herbis crudis & carne  
 equina contentus, vitam, vt potuit, sustenta-  
 uit. Nec verò minus animæ corporisq̃ue vi-  
 ta pe-

ta periclitatus est laderæ, vbi iurgio inter ludum excitato, in tantum erupit iracundiæ, vt duellum alteri militi (Euangelista ab Alcido illi nomen erat) denuntiarit, & iamiam in pugnæ discrimen cominus ventum esset, nî Præfectus rerum capitalium imperio suo, ne vltra progredierentur, vetuisset. Aliàs cum idem Camillus in triremibus Neapolitanis militaret, atque in mediis faucibus Caprearum, loco periculoso & nautis horrido, à tempestate deprehensus esset, adeò in ipsius triremis vela ventus incubuit, vt parum abfuerit, quin eam subuersam in profundum demergeret: nisi arbor ipsa trunco tenus diffracta simul cum velo & antenna in mare dissiluisset. Sed hoc interim pro certo teneri licet, Deum Optimum Maximum à tantis eum periculis vindicasse, quòd iam à principio illum ad res magnas in suam gloriam & plurimorum salutem mortalium destinasset. Anno denique M. D. LXXIV. Neapoli, vbi milites ad Tuneti defensionem scribebantur, nomen suum dedit: idque sub Centurionis cuiusdam Fabij vexillo, propterea quòd ibi egregios habiturus esset collutores: quos ipse per mare per terras perquirebat. Tum igitur Tunetum versus (ea est vrbs Africæ notissima) cum exercitu profectus est, vt cum quatuor peditum signis ad arcis Golettæ præsidium

diu refideret: quæ in singulas horas impref-  
 fionem aciei Turcicæ (cui Sina Bassa præ-  
 erat) opperiebatur. Verùm ab iis Ducibus,  
 qui illam defenfabant, non intromiffi, retrò  
 Panormum recesserunt. Quo in euentu rur-  
 sum diuinæ erga illum gratiæ fauor liquidò  
 emicuit: siquidem paucis pòst diebus tam  
 arcem quàm Tunetum à Turcis occupata  
 esse, certus attulit nuntius. Cùm autem dein-  
 de Panormo Neapolim reuerteretur, tribus  
 ipsis diebus & noctibus longè grauissimū &  
 ipse & vectores omnes, tempestatis incurrere  
 discrimen, in quo quidem cunctis, præter  
 mortem, nihil expectantibus, ipse Camillus  
 votum suum ingrediendi Ordinis S. Francisci  
 denuò confirmauit: quod XXVIII. Octobris  
 fecit, ipso gloriosorum Apostolorum Simo-  
 nis & Iudæ festo die, anno Christianæ salu-  
 tis M. D. LXXIV.

## CAPVT IV.

*Camillus per lusus intemperiem ad extre-  
 mam redactus inopiam, stipem emendi-  
 cat: & in quadam Patrum Capuccino-  
 rum fabrica operam locat.*

**H**Oc per Dei gratiam erepti periculo  
 tiremes Neapoli, sed fluctibus admo-  
 dum

14 VITÆ P. CAMILLI DE LEILIS  
dum laceras diffractasque applicuerunt. Ibi  
verò illa cohorte exauctorata, immunem se  
quidē & à militia liberum vidit Camillus, sed  
à vitæ subsidiis tam destitutum ac miserum,  
vt nihil sibi propè superesset, cunctis scilicet  
Panormi in lusu dilapidatis. Videtur autem  
diuino nutu factum, vt hîc Neapoli integro  
mense lusum abdicaret, cui tamen aliàs ita  
fuerat addictus, vt semel Neapoli indusium  
ipsum in lusum exposuerit, quod sub ipso mi-  
litiæ vexillo extraxerat; qui etiam confestim  
atque vltimùm Panormo reuersus fuit, ea-  
dem ludendi vesania, quidquid residuum  
erat, vendidit: nempe gladium, scloppum, pul-  
ueris tormentarij lagunculas, pallium: postre-  
mò cuncta lusionibus ita prodegit, vt nihil  
aliud quàm pauper & miser restaret mendi-  
cus. Omnibus ergo sic pessum datis, per orbē  
vagabundus ire constituit, & si quid aliun-  
de sibi prosperioris eueniret fortunæ, perqui-  
rere. Hinc in alterius cuiusdam militis socie-  
tatem, (cui Tiberio Senensi erat nomen) se  
adiunxit, cumque illo vnà versus Appuliam  
terendit: accedensque Manfredoniam non-  
nihil subdubitauit, rursusne in Dalmatiam  
dominij Veneti remearet, an verò ardente  
etiamnum bellis Africa, eam in prouinciam  
iterùm se referret. Verùm vbi nulla Manfre-  
doniæ capiendi ad bellum stipendij spes af-  
fulsit,

fulsit, tandem, ne in quidpiam deuolueretur indignius ( tametsi non sine summo pudore & verecundia) aliorum instar militum ege-  
norum, qui vacuis è bello manibus reuertun-  
tur, ostiatim, protenso ad stipem galero, vi-  
ctum emendicare est coactus. Quod factita-  
re cœpit trigesimo Nouembris, ipso die san-  
cti Andreæ Apostoli, anno M. D. LXXIV.  
pro valuis templi primarij. Dum autem his  
pressus malis, in perquirenda stipe verecun-  
dia plenus obambulat, ecce nobilis quidam  
senex ( Antonius à Nicastro dicebatur, &  
ædificij, quod à Patribus Capuccinis strue-  
batur, procurator erat) ei fortè occurrens, &  
tali occupatum in ministerio intuens, scisci-  
tatur, animusne illi sit ad laborandum? si  
enim velit, se in dicto ædificio aliquam labo-  
ris partem ei assignaturum: cui respondit Ca-  
millus, se hoc in negotio non posse absque  
sodalis sui consensu, qui paullò antè à se dis-  
cessisset, quidquam statuere; subiecit senex, vt  
sodalem suum primò conueniret, deinde ve-  
niret responsum daturus ad eam domum,  
quam ei monstrabat, & quæ non longè à di-  
cto templo distabat. Conuenit Camillus so-  
dalem: sed cùm alterius eum inuenisset esse  
sententiæ, absque responso alio seni dato, ea-  
dem die Manfredoniâ versus Barlettam abi-  
it. Neque iter eius inhibuit, quòd in portæ  
ciui-



16 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
ciuitatis egressu, voti sui de suscipiendo reli-  
gioso statu recordatus sit, & illud confirma-  
rit, atque secum dixerit: *Quis scit, an Deus*  
*istam Capuccinorum structuram mihi propter*  
*bonum meum, & ad votum exoluendum, non*  
*obiecerit?* Tametsi, inquam, hæc obuersaren-  
tur animo, tamen ne socio fidem falleret, iter  
prosecutus est, & milliaria duodecim illo die  
percurrit. Quo in itinere, cum à certis eius  
terræ viris nobilibus poposcisset, an fortè Bar-  
lettæ aliqua sibi reperiri posset operæ locan-  
dæ opportunitas, responsumque esset, nulla;  
tum ille multas versare animo cogitationes,  
& tamquam diuina voce vi quadam com-  
pellente, constituere demum reuerti Man-  
fredoniam, & oblatas in structura Capucci-  
norum laborandi partes suscipere. Quod  
suæ mentis propositum vbi socio declarasset,  
eumque minimè reuerti velle conspexisset,  
ipse, licet non sine graui doloris sensu, & mul-  
to cordis mœrore, quem ex hoc societatis  
diuortio concipiebat, (ita efficaciter eum  
Deus Opt. Max. exstimulabat) illum dere-  
liquit. Tam fortis autem & valida fuit ea  
Domini vocatio, vt Camillus ipse affirma-  
rit, tanta se pedum velocitate illa duodecim  
itineris milliaria percurrisse, vt canis venatici  
leuitatem (ante diluculum attingens Man-  
fredoniâ) adæquasse sibi videretur. Hic verò  
senem

senem suum cum reperisset, ab eo ad Capuccinorum fabricam salutis suæ asylum deductus est: vbi à Patre Guardiano, qui Frater Franciscus à Modica nominabatur, inter operas admissus, id muneris à magistris accepit, vt cum duobus asellis aquam, lapides, calcem, ad structuram conueheret. Nimirum diuina Maiestas cum illo tamquam cum filio prodigo agens, ad custodienda animalia eum deduxit, vti posthac ad veram sui ipsius notitiam pertraheret. Quo in vitæ genere tam à pristinis cogitationibus diuerso, & ad quod se redactum iri in vita sua numquam existimasset, non mediocres in principio reluctantis naturæ motus sensit, cum ad tam vile se abiicere ministerium horreret, quod ne per somnium quidem cogitasset. Hinc sæpiusculè ad discessum tentatus est, maximè ipso S. Lucie sacro die, cum scilicet arbitratus eum esse populo festum ac solemnem, ac proinde aliquid quietis & laxamenti à laboribus daturum, spes suas fuisse vanas deprehendit: siquidem nullo in eâ ciuitate obseruationis festi iure introducto, satis manè ad opus excitatus est. Tum ergo in grauem erumpens impatientiam, nec eiusmodi insudare laboribus vltra sustinens, dimissionem petiit. Verùm boni Patres, ne homo ab opere digressus, in prærupta declinans

B

vicio-

vitiorum, sese perditum iret, tantis apud eum precibus atque hortamentis institerunt, ut tandem persuaserint, ac detinuerint: non cessante tamen interim maligno spiritu, sed aliis atque aliis modis annitente, de suo illum proposito, simulque de cœnobio deturbare. Duo tamen peculiariter egregij ac subtiles insultus deprehensi sunt: vnus quidem, cum eius sodali Tiberio persuasit remigrare Manfredoniam: qui aliquot diebus Camillo in opere fabricæ adiunctus, cum aliquamdiu laborasset, postmodum laboris & fatigationis pertæsus, abiit, cum tamen prius & sapius ad deserendam tantorum laborum molem Camillum, sed frustra, perurisset. Posterior verò isque terribilior atque diuturnior insultus fuit, cum eius vrbis pueri ipsum conspicati detritis vestibus, malè opertum, & balteo succinctum, præ se agentem asinos, non cessarent risu & cauillis eum prosequi ac lacessere: ipse tamen præ graui, qua tum premebatur, inopia sibi imperauit cuncta sustinere: sed & crebris dictorum Religiosorum hortationibus paullatim omnia leuius patitur est edoctus.

## CAPVT V.

*Camillus à Deo ad veram sui cognitionem adducitur : & incipit peccatorum suorum agere pœnitentiam.*

**T**Enuit aliquamdiu Camillus istud quamuis vile & multis obnoxium ludibriis ministerium : sed tam longè à Domino Deo diuisus, vt nec voti sui, nec boni cuiusquam propositi meminisset : quin etiam à sanctis cogitationibus adeò alienus, vt cum miserè vestitus esset, frigusque ingens ea hieme pateretur, & Patres Capuccini eius sortem miserati aliquid panni offerrent coloris fusci (quali & ipsi vtuntur) vt vestem sibi inde conficeret, ipse veritus, ne hoc illi ea de causa facerent, vt sensim ac suauiter illum ad suum Ordinem pellicerent, diu admittete recusauit : donec tandem frigoris vi coactus præter voluntatem suam admisit. Denique non alio consilio hætenus ad illam adhæsit fabricam, nisi vt nummos aliquot aureos ad transigendam brumæ asperitatem colligeret : post autem ad vomitum rediret, hoc est, ad lusum, & ad bellum, si qua fortè spes eius gerendi ostenderetur. verum enim uerò Dei Opt. Max. longè aliud consilium fuit: quandoquidem non priùs ei permisit eam transi-

B 2

gere

gere hiemis tempestatem, quàm illum intrinsecus adoriretur, & tale actam altum eius animæ vulnus infligeret; vt deinceps, quoad vita superesset, eius memoria atque vestigium animo numquam excideret. Quippe iam tempus illud aderat, quo ipsum diuina Maiestas ad sui cognitionem vocare destinauerat: vt præclara deinceps atque admiranda per eum facta designaret. Euenit ergo, vt ad S. Ioannis castellum duodecim milliaribus distans à Manfredonia, ad quamdam eleëmosynam corrogandam (ea erat certa vini copia) mitteretur. Quo itinere confecto, & negotio feliciter peracto, cùm incumbente vespera, à Patribus Capuccinis illius Cõuentus dimitteretur, ecce ipsorum Guardianus Frater Angelus nomine (qui reuera bonus illi fuit Angelus) eum sub quamdam domesticæ vitis pergulam abductum benignè affatur: monitis spiritualibus erudit: ante omnia ad diligentem peccatorum fugam cohortatur. Quam in rem multa quoque aduersus prauas cogitationes adiumenta suggerit: vnum inter alia, vt ingruente quæpiam fœda tentatione cõfestim ac sine mora eam repellat: & dæmonem consputando, nihilique pendendo, acriter refutet. Camillus igitur hac munitus exhortatione, & postulatis eiusdè P. Capuccini ad Deum precationi

tion  
verf  
afin  
clite  
ho  
insta  
litur  
rior  
mor  
tiffi  
tu,  
con  
vnd  
criti  
vlt  
ram  
sup  
cum  
vbe  
pit a  
inter  
infe  
nou  
toti  
freq  
nati  
igno  
quod  
dulg  
tion

tionibus, postredie mane, Manfredoniam  
 versus, iter repetiit. Per viam autem, cum ipse  
 a sino insidens inter duos vini vtres (qui binis  
 clitellis inerant) super Patris Guardiani ex-  
 hortatione meditabundus procederet, ecce  
 instar alterius Pauli subito diuinitus percel-  
 litur, & quidem cum tanto radio lucis inte-  
 rioris, miserandum vite sue statum ipsi com-  
 monstrantis, vt mox consequente vehemen-  
 tissimo admissorum à se peccatorum plora-  
 tu, cor ipsum nimia doloris violentia sibi  
 contritum, confractumque intus crederet.  
 vnde, cum pre ista, quam in se sentiebat, con-  
 tritione & commotione cordis, non quiret  
 vltra a sino insidere; velut diuina luce in ter-  
 ram prostratus media via descendit, ibique  
 super saxo quodam, flexis genibus, insolito  
 cum dolore & lacrymis (quæ illi ex oculis  
 vbertim defluebant) transactam vitam cœ-  
 pit amarè plangere, & verbis multo singultu  
 interruptis dicere: *Ah me miserum! ah me  
 infelicem! cur Dominum meum antè non cog-  
 noui? cur ad eius vocationem surdis auribus  
 toties steti? cur diuinam eius bonitatem tam  
 frequenter offendi? ô quanto satius fuisset, si  
 natus in mundo non essem! Ignosce Domine,  
 ignosce huic magno peccatori, & spatium ali-  
 quod peragenda vere pœnitentiæ benignus in-  
 dulge.* His atque eiusmodi vocibus miserri-

uiam animæ suæ vicem insolabiliter deplo-  
 rans, à feriendo validissimis pugnis pectore  
 non desisteat, ne oculos quidem in cælum  
 attollere ausus. Tantus scilicet pudor vultum  
 eius occupabat, & tanta animum confusio in  
 sui status respectione obruebat! In isto autem  
 planctu, flexis adhuc humi genibus, post  
 actas diuinæ bonitati, quantas potuit, gratias,  
 quòd illum tanta cum patientia & longani-  
 mitate ad id vsque tempus sustinisset, tri-  
 firmissimè proposuit: nempe numquam  
 Deum amplius offendere, asperam pœnitentiam  
 agere, & ante omnia Capuccinorum  
 Ordinem, quàm primùm liceret, intrare:  
 illa idem verba repetens: *Nihil mihi cum mundo: nihil mihi cum mundo.* Ex qua  
 die (hoc est, ex secūda Februarij anno 1575.  
 qui erat annus Iubilei, & tertius Pontificis  
 Gregorij XIII. feria quarta, die solemnissi-  
 mo Purificationis B. MARIÆ semper Virgi-  
 nis, anno vigesimoquinto ætatis suæ) ex qua  
 inquam die, ad extremum vitæ suæ tempus  
 non meminit, neque per Dei gratiam sibi  
 conscius unquam fuit, vllum se lethiferum  
 peccatum (quod quidem cognoscere potue-  
 rit) commisisse. Tantum scilicet diuina Ma-  
 iestas simul cum dono illo cælesti iam ante  
 dicto, peccati odium illi immiserat: vt solitus  
 esset dicere, passurum se potius millies in  
 frustis

frusta disseccari, quàm vt vnum peccatum non modò mortale, sed etiam leue sciens prudensque committeret. Quam diem in posterum semper ob tam insignis doni memoriam celebrauit, & maxima deuotione prosecutus, diem conuersionis suæ appellauit. Hoc igitur pacto, sanctissimæ Virginis interuentu, in suarum lacrymarum balneo expiatus, ad cœptum iter peragendum Manfredoniam versus se retulit; tam fixum animo tenens Patrum Capuccinorum suscipere habitum, vt si vestem cuiuspiam ipsorum in via inuenisset, eam se sine mora & absque vlla Fratrum facultate induturum fuisse affirmaret. Quare Manfredoniam cum attigisset, remque omnem multis cum lacrymis, fixisque in terra genibus Guardiano enarrasset, tum ab illo maximoperè expetiit, vt sibi habitum Religiosum daret, atque ex illa hora in omne tempus in vilissimum atque cunctorum Fratrum mancipium se obtulit. Qua demissione ille obstupefactus, & hanc esse mutationem dexteræ Excelsi minimè dubitans, eum in præsentia solatus est, promisitque se effecturum in aduentu F. à Monteflore, vt voti sui fieret compos. Hac pollicitatione contentus cœpit ex illo die studiosius Ecclesiæ Sacramenta frequentare, & vitam in poenitentia austeram ducere: ita vt



24 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
quotidianum exercitium illi esset, pristinam  
vitam medullitus deflere, & peccata antehac  
commissa amarè plangere. Tum etiam bo-  
na proposita renouauit, atque idemtidem in  
memoriam reuocare studuit illam Domini  
sui erga se benignitatem, qua illum ad pœni-  
tentiam tamdiu expectasset, neque tantis in-  
periculis (quæ ab eo longissimè seiunctus  
crebrò incurrerat) vitam abrupisset. Implens  
deinde aërem frequentibus sancti amoris su-  
spiriis, sese quodammodò exhauriebat, &  
quasi totum in Dei laudibus & gratiarum  
actionibus, de tam immensis in se beneficiis  
consumebat. His ergo aliisq̃ue similibus piis  
commentationibus & exercitiis sollicitè ya-  
cans, noua quotidie succensis piorum desi-  
deriorum flammis fomenta suggerebat; nec  
vniquam à vilioribus & abiectioribus sui  
Conuentus ministeriis, quàm domum verren-  
do, quàm patinas eluendo, quàm terram fodien-  
do desistebat. Noctu etiam ad matutinas  
horas vnà cum Fratribus consurgebat, &  
meditationi insistebat: corpus quoque, haud  
secus quàm illi, flagris perdomabat: quin &  
ieiunia perinde atque ipsi non alia modò, sed  
etiam quadragenarium integrè atque exactè  
obseruabat: quod ipse quidem hæctenus  
numquam fecerat, cum & vix, quidnam es-  
set ieiunium, cognosceret. Eius ergo nonnulla  
captus

captus miseratione Guardianus non raro commonebat, uti caueret, ne inter tantos diurnos labores corpus suum nimia poenitentiae & afflictionis assiduitate conficeret. Cui ipse respondere solitus erat: *Si vosmetipsi, quamuis senes & inualidi, haec ipsa facitis & patimini, cur ego, qui iuuenis sum & validus, non peraequè faciam & patiar?*

## CAPVT VI.

*Camillus bis fit Capuccinus: & ob tibiae vulnus bis ab Ordine dimittitur.*

**D**VM in suscepto rigidae poenitentiae instituto constanter pergit Camillus, accessit Manfredoniam laudatus supra Pater Frater à Monteflore, qui de illius vitâ moribusque plenè edoctus in Religionem admisit: Clericorum sorti destinavit: habitum suscipere iussit: Truentum denique ponendo ibi tirocinio ablegavit, quò quidem cum tenderet, visus est sanctus Angelus illum, quasi alterum Tobiam iuniorem, comitatus esse & conseruasse. Nam cum ad dictam urbem habitus sumendi gratia mirè alacer hilarisque proficisceretur; ecce ad vesperam occurrit ei flumen transuadandum: vadi autem aequè & periculi ignarus intrauit quidem, ut pedibus praeteriret, sed necdum amnem medium

B s            attige-

attigerat (quo in loco periculum erat præsentissimum, ne impetûs violentiâ abriperetur) cùm subitò de montis cuiusdam vertice vocem exaudit tertio inclamantem: *Siste, siste, siste, ne transeas.* Qua voce absteritus retrò confestim resiliit, nec quis fuerit ille admonitor, videre aut rescire vñquam potuit. Quòd autem valdè serum iam tempus esset, coactus est illam noctem sub quodam arbusto incœnatus transigere. Postridie verò manè alij quidam Capuccini, qui Truentum quoq; Congregationis siue (vt vulgò vocant) Capituli gratia adibant, eum in itinere consecuti, locum illum totius fluminis multò periculosissimum esse asseuerarunt: vbi proculdubiò, si vlteriùs aliquantò transisset, in ea cursus rapiditate (quemadmodum multis aliis accidit) abreptus periisset. Hinc infinitas Deo Opt. Max. & sancto Angelo custodi suo gratias egit, quòd tanto ipsùm discrimini præripuisset. Truenti deinde cùm esset, habitu indutus est religioso: sed cùm in sancta simplicitate Deo seruire mallet, forti clericatus renuntians, inter fratres laicos sua voluntate adscriptus est. Ibi menses aliquot versatus, tantum obedientiæ & humilitatis specimen dedit, vt passim Frater humilis agnomnaretur. Diuini interim consilij fuit, vt religiosæ vestis ad iuncturam pedis in dextera

tibia

tibia affiduo contactu, pristinum vlcus re-  
crudesceret: quod quidem cum in Ordinem  
reciperetur, non tanti esse momenti crede-  
batur. Nam Patri à Monteflore ostenderat,  
qui illud nihili faciens, & hominem verbis  
animans, etiam adiecerat, quamuis ante in-  
gressum Religionis malè haberet ex tibia,  
suscepto tamen habitu malum omne discuf-  
sum iri. Verùm progrediente in tantum ma-  
lo, vt nullo videretur remedio sanabile, com-  
pulsus est Camillus, non absque magno Fra-  
trum religiosorum sensu, ab Ordine nunc  
primùm discedere. Degebat Tormaiuri, cum  
à Prouinciali Appuliæ, Patre F. Ioanne à  
Thusa, est dimissus; sic tamen, vt cum idem  
Pater extremum eius mœrorem atque tristi-  
tiam, testantibus oculorum continuis lacry-  
mis, attenderet; non potuerit, quin promit-  
teret sanatâ plagâ denuò se eum in Ordinem  
recepturum. Attulit ea promissio nonnihil ei  
consolationis, fecitque vt à sanctissima Dei  
manu, æquo animo omnia suscipiens, suam  
lugenti animæ tranquillitatem redderet: ne-  
que propterea de firmissimo suo proposito  
sequendi in omni loco, & tempore, & aduer-  
sitate, Christum crucifixum vllatenus exci-  
deret. Verùm, vt quàm citissimè ad sanctam  
suam Religionem sibi reditum patefaceret,  
iam secundùm Romam petijt, non modò  
vulceris

vlceris percurandi gratiâ, sed etiam sanctissimi Iubilei, anno sancto, promerendi. Hoc Iubileum anno Domini M. D. LXXV. GREGORIVS XIII. Pontifex celebrabat. Ibi Camillus recordatus se, cum aliàs in S. Iacobi Valetudinario INCVRABILIVM aliquamdiu fuisset, ferè ab vlcere suo sanatum esse, rursus ad inseruendum in eodem nosocomio adiecit animum. Hic autem longè aliter, & multò meliùs vixit quàm antè fecerat, & mutata prorsus vitæ ratione, atque emendatis moribus, annos circiter quatuor, bono omnium exemplo, & per singula eius loci officia gradatim ascendendo, perseveravit. Acceperat id temporis in patrem spiritualem beatum PHILIPPVM NERIVM, Fundatorem Congregationis Oratorij, virum illa ætate in magna apud omnes opinione sanctitatis, cui omnibus Dominicis & Festis sua peccata cum dolore exponebat. Tandem vbi vlcus ita persanatum perspexit, vt ampliùs quàm septem mensibus nihil reliqui apparet, ad Capuccinos reuerti constituit, vt sub hominis verè pœnitentis habitu, conformiter pristino suo desiderio moreretur. Quo consilio cum beato Philippo Confessario suo communicato, respondit ille, ne faceret: futurum enim vt vlcus recrudesceret, & ipse in Religione non permaneret. Verùm Deus

Opt.

Opt. Max. ( fortè ad eximendum illi omnem de voto suo scrupulum, qui non parum illi molestus erat ) permisit vt suæ conscientia directori, hac in re, non auscultaret, seque Capuccinis rursus adiungeret. Receptus est igitur Romæ à Patre Fr. Maria à Thusa, qui illum Tormaiuri primùm dimiserat, qui que hoc tempore factus Procurator negotiorum in Palatio, cùm sanum videret, sui que recordaretur promissi, iterùm admisit, mandauit que, vt in ciuitate Pinna habitum resumeret, tirocinium autem ad Fucinum lacum in prouincia Aprutio perageret. Fuit autem tum Camillus in Religione quatuor circiter menses semper sanus, multa que virtutis suæ admiranda Patribus exempla interim præbuit: qui proceram eius staturam admirantes (alludendo fortassis ad gloriosum martyrem Christophorum) secundo hoc ingressu fratrem Christophorum appellarunt. Sed Deus, ( cuius sanctissima voluntas nullo declinari loco potest ) cùm illum ex vtero matris suæ ad maiora destinasset, permisit, vt eodem rursus vestis & iuncturæ pedis contactu pristinum vlcus recrudesceret: quod illum magno cum suo dolore iam secundum à Religione in nominato Fucini lacus Conuentu abscedere adegit.

CA.

## CAPVT VII.

*Camillus Romam ad nosocomium S. Iacobi reuertitur: ibi fit œconomus: nouo scrupulo de repetendis Capuccinis pungitur.*

**C**Amillus, intellecta hoc pacto Dei voluntate, statuit deinceps se totum & curas suas omnes ac vigilias ad infirmorum transferre obsequia. Romam igitur ea intentione reuersus, inuenit dimissum haud ita pridem è S. Iacobi nosocomio œconomum. Erant id temporis Domini Prouisores eius loci Dominus Saluiatus (qui fuit postea Cardinalis) Virgilius Crescentius, Paullus Pascuicinus, & Ferdinandus Torres Hispanus: qui de reditu Camilli certiores facti, illum commendatione & rogatu Domini Virgilij iam nominati, qui eum impensè amabat, domus gubernationi præfecerunt. Ita lapis, qui primò propter duritiem suam fuerat reprobatus, atque à dicto nosocomio reiectus, nunc diuina aspirante gratia factus est in caput anguli. Tanto autem studio atque ardore in id studium incubuit, tantumque Christianæ pietatis feruorem exhibuit, vt iam ibi magno cum timore Dei & assiduo Sacramentorum vsu vulgò vitueretur. Nam & ipse  
per

per singulas hebdomadas non modò ad ea crebrò vsurpanda, sed etiam ad feruentem erga infirmos charitatem suos exhortabatur: apud quos etiam obtinuit, moremque introduxit, vt pauperibus, antequam lectos conscenderent, pedes lauarentur. Quin tam assiduis in eiusmodi operibus pietatis erat, vt vltimis ante ieiunium quadragenarium diebus, cum festa vbique hilaritas, & hominum personatorum publica discursatio omnium oculos ad se attrahere solet; ipse ne momentum quidem temporis nosocomij fores ad spectandos bacchantium cursus (quemadmodum omnes alij iuuenes factitant) excederet; sed cum suis charissimis fratribus infirmis intra domesticos parietes sese contineret. Erga quos infirmos talem gerebat animum, vt sæpiùs suis ipse manibus pedes putidos & nauseam mouentes lauandos susciperet. Cum cibum sumeret, habebat plerumque super mensam caput mortui, vt recordatione mortis, omnis alieni gustus ac terrenæ delectationis obliuionem caperet. Perseuerabat illo tempore beato Philippo Nerio uti à confessionibus: qui vt vidit à Capuccinis postremò reuersum, ei dixit: *Salue mi Camille, an non tibi dicebam, ne ad eam ires. Religionem, propterea quòd futurum esset, vt plaga recrudesceret, nec tu in ea permaneres?* Nihilominus,

nus,



nus, quòd probè sciret omnia ab illo facta esse maioris pœnitentiæ gratia, eum omnino, vt priùs in numerum filiorum suorum spiritualium recepit. Non obstantibus verò tantis diuinæ voluntatis indicijs (nimirum apparebat hanc verè esse artem satanæ, ad impediendum, si quà posset, Dei consilium) rursus pristinum in eo reuixit desiderium ad bis relictam Religionem remigrandi, tam agendæ peccatorum pœnitentiæ, quàm voti exsoluendi studio. Licet igitur præfecturâ domus tunc fungeretur, tamen iam tertium ad Patres Capuccinos reditum attentauit, & cum eodem Patre Fr. Ioanne Maria à Thusa negotium istud diligenter instanterque exequi studuit: sed ille præteritorum haud immemor, nec ignarus eum veste Religionis iam bis indutum fuisse, ampliùs eum recipere noluit: vt tamen omni ipsum scrupulo liberaret, scripsit ei sua manu sequens testimonium:

*Ego Pater Fr. Ioannes Maria à Thusa, Procurator curialis Fratrum Capuccinorum, testor hoc præsentiscripto, CAMILLVM DE LELLIS Bocchiavicensem, ob incurabilem infirmitatem, quæ in vna eius tibia insedit, ad nostram Religionem minimè aptum esse: propterea quòd Constitutionibus nostris commendetur, ne tales in Ordinem nostrum recipiantur. At quò certius constet infirmitatem esse incurabilem, id non tantum*

*tantum ab eius ore accepimus, sed etiam ipsi semel atque iterum, dato illi nostro habitu (quem dicta de causa deponere debuit) experti sumus. In cuius fidem hac scripsi, & manu mea subscripsi. Actum vigesima sexta Nouembris, anno M. D. LXXX. Romæ in Conuentu nostro.*

His tamen non contentus Camillus, cum in mentem ipsi venisset, votum suum non speciatim fuisse vt Capuccinus fieret, sed potius ex Ordine Fratrum de Obseruantia, iterum vno post anno habitum in Conuentu Aræ-cæli assumere laborauit. Verum ab illa quoque Religione eadem de causa est exclusus, accepto similiter altero eius rei testimonio à P. Fratre Daniele Soleduna Procuratore Generali, dato Romæ decima nona Decembris, anno M. D. LXXXI.

Quibus repulsis, extinctum tandem penitus in eo fuit ingrediendi Ordinis S. Francisci tam ardens hactenus desiderium.

## CAPVT VIII.

*Primæ Camilli cogitationes de institutione nouæ Congregationis.*

**I**Am erat Camillus in suo Præfecti domus officio quietus, & ab omni deinceps voti scrupulo prorsus liber. Quare ista pace animi,

mi, & tranquillitate conscientiae in bonum  
 usus, illò perpetim cogitationes suas direxit,  
 vt præ ceteris virtutibus ad charitatis pertin-  
 gere possit fastigium. Verùm quantamuis in  
 dicto Nosocomio operam nauaret, vt eam-  
 dem sibi seruientibus virtutem commenda-  
 ret, atque propensos in pauperum suorum  
 curam redderet; videbat tamen, etiam mu-  
 tatis propè quotidie ministris (cùm ipsi non  
 ex animo, sed ex mercedis potiùs aspectu  
 rem gererent) eos officio suo quàm sæpissi-  
 mè deesse. Sed nihil ex omnibus maiorem e-  
 creabat dolorem, quàm permagna eorum  
 in cibis preparandis & sternendis lectis socor-  
 dia: & quòd ab infirmis vocati non continuò  
 in auxilium accurrerent; sed essent ad hæc  
 atque ad alia obsequia segniores. Neq; item  
 mediocriter eum angebat, quòd moribun-  
 dos in vltimo vitæ certamine à Sacerdotibus  
 derelictos, eoq; adiutorio destitutos vide-  
 ret, quod extremis in angustijs solet ab ijs  
 expectari. Vnde, vt tantis malis aliquatenus  
 mederetur, sæpiùs somnum oculis suis subri-  
 piens, noctes integras apud eosdem mori-  
 bundos excubabat, aut certè medio inter  
 lectos spatio se abdebat, obseruabatq;e, num  
 custodes dormirent, aut si vocati acturum ac-  
 currerent. Quòd si quem in huiusmodi offi-  
 cio delinquere, aut partes suas deserere depre-  
 henderet,

henderet, derepente medio in Nosocomio  
 comparens acriter reprehendebat: deinde  
 pro culpæ admiffæ ratione, vel domo dimitte-  
 bat, vel alio pœnitentiæ genere emenda-  
 bat. Cùm autem cerneret se tanta cura &  
 sollicitudine id assequi non posse, quod in-  
 tenderet; & quibuslibet remedijs maiora esse  
 mala & damna, ægro animo conspiceret,  
 haud desistebat tantas infirmorum miseras  
 atque necessitates Domino Deo exponere.  
 Igitur quodam vespere, cùm in medio staret  
 Nosocomio meditabundus, & ea, quæ paupe-  
 res per ministrorum negligentiam pateren-  
 tur, animo suo volueret, ecce subit in men-  
 tem cogitatio, tantis incommodis nullum  
 melius remedium afferri posse, quàm si Con-  
 gregatio vna institueretur virorum piorum,  
 proborumque, qui ad supplendos omnes ser-  
 uorum mercenariorum defectus, pro insti-  
 tuto suo haberent, opitulari & ministrare in-  
 firmis pauperibus; non mercede, sed volun-  
 tate, & Dei amore, cum ea charitate & bene-  
 uolentia, qua solent matres filijs suis ægro-  
 tantibus succurrere. In qua etiam mentis illu-  
 stratione illud pariter succurrit, non abs re  
 fore, vt pij isti viri, quò magis vulgò tales  
 agnoscerentur, in vestibus suis signum Crucis  
 gestarent. Ad se deinde reuersus ab illa con-  
 sideratione, seu potius diuina inspiratione,  
 C 2 quam-

36 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
quamuis se pauperem, idiotam, sæcularem,  
sine subsidio & fauore humano esse agnosce-  
ret, proposuit tamen omni modo, cum diui-  
na gratia, hoc opus aggredi, & totis viribus ad  
exequendum se impendere. Obuênit autem  
huius moliminis prima cogitatio illi nostro  
Patri, anno M. D. LXXXII. ( qui fuit Ponti-  
ficatus Gregorij XIII. decimus) mense Au-  
gusto, circa festiuitatem sanctissimæ Assum-  
ptionis Mariæ semper virginis : in qua prima  
cogitatione ( quæ fuit instar cuiusdam deli-  
neationis, ex qua postmodum diuina maie-  
stas formam eduxit nostræ Religionis ) nihil  
ipse aliud animo intenderat, quàm simpli-  
cem sæcularium Congregationem, ad opitu-  
landum dumtaxat S. Iacobi Nosocomio,  
alijsq̃ue vr̃bis Romæ similibus locis.

#### CAPVT IX.

*De primis Camilli socijs: & de prima per-  
secutione, qua diabolus Congregationem  
dissoluere conatus est.*

**V**Erè dici potest Camillus ex hoc tem-  
pore non dedisse ( vt Propheta loqui-  
tur) *oculis somnum, & palpebris suis dormita-  
tionem*: sed semper animo ad opus destina-  
tum excubasse, maiorem in modum à Do-  
mino

mino cum lacrymis, ieiuniis, afflictationibus corporis exoptulando, ut si suæ placitum esset voluntati, dignaretur in ipso perficere, quod sua iam benignitas inchoasset. Et verò ipse ego memini me audire illum dicentem, exiguæ huius plantæ sationem magnâ ipsi constitisse copiâ lacrymarum: sed & nocturnis in nuda humo genuflexionibus, ad deprecandû Deum, non paucis. Præter quæ, solitus etiam erat id temporis corpus suum aspero cilicio è pilis equinis confecto, eoquæ admodum nodoso, perdomare: neque hoc tantùm, sed etiam cingulo circa lumbos medium palmum lato, siue lamina ærea radulæ instar perforata, in carnis cruciamentum uti. Cùm autem nollet creditum sibi talentum in terra abscondere, hoc est, modicam scintillam è cælo datam extinguere, cœpit statim conuocare operarios, & quid in animo reconditum haberet, aliis quibusdam eiusdem Nosocomij administris, quos magis sapere ea quæ spiritus sunt, credebat; & quibus maximè confidebat, amicè exponere. Hi primùm fuerunt quinque, Bernardinus Murcinus à Matrice, Curtius Lodi, Aquilanus, P. Franciscus Propheta à Randazzo, Ludouicus Aldobellus, & alter quidam Benignus nomine, qui omnes cùm insigni essent vitæ probitate, promptissimè responderunt,

VII

174

38 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
runt, se & in vita, & in morte, & in aduersis,  
& in prosperis eum secuturos. Tum ergo in-  
stituit Camillus, vt coniunctis animis, in quo-  
dam eiusdē Nosocomij recessu ad Oratorij  
formam adornato, quotidie certa hora con-  
uenirent. Ibi altare erectum est, & Crucifixi  
sculpta effigies imposita. Hic meditationi  
vacabant: hic corpus flagris cædebant: hic  
Litanias legebant: hic de rebus diuinis ser-  
mones miscebant: quibus sanctis exercitiis  
rite perfectis, exhibant cuncti ex eo Sacrario,  
quorundam instar Seraphinorum, charitate  
& studio pauperibus ministrandi quàm ar-  
dentissimo inflammati. Quo in genere vitæ  
nulla vestitus mutatione, sed in eo habitu  
quo fuerant vsi in sæculo, pauculis diebus  
magna animi quiete perstiterunt. Verùm  
iam præuidens humani generis hostis, quan-  
tus ex hoc Sodalitio animorum fructus esset  
precedente tempore prouenturus, volensque  
in ipsis initiis eius caput conterere, totumque  
sibi aduersans corpus disperdere ac dissipare,  
in cor maligni cuiusdam ex eodem Nosoco-  
mio immisit (indignabatur scilicet se quo-  
que in Oratorij societatem à Camillo adsci-  
tum non esse) vt nescio quæ falsa de illis apud  
dominos eius domus Præsides ac Custodes  
deferret: speciatim autem eam ipsorum con-  
iunctionem insimulando, atque in suspicio-  
nem

nem vocando affectandi aliquando in Nosocomium pleni dominij, Quare domini illi de honore tuendo solliciti, neque officio suo indormire cupientes, Camillum coràm accersunt, tamquam caput scilicet & inventorem huius nouitatis: conuenticulum deinceps omne illi interdicit: Oratorium confestim dissoluendum constituunt. Qua ex re dici non potest, quanto Camillus animi dolore percussus sit: quippe qui sciret se nihil vniquam contra domum illam nec cogitasse nec machinatum esse. vnde vehementi tentatione ad illum locum deserendum, & aliò deseruendi gratiâ commigrandum impulsus fuit. At breuì postea, cùm astus dæmonis agnouisset, eamque persecutionem manifestè colligeret à zizaniorum seminatore profectam esse, qui paucula grana à se seminari cœpta tentaret suffocare, tum sese penitus, & in omnibus diuinæ commisit voluntati. Sed quia tardior aliquantò in remouendis Oratorij rebus existeret, aliis quibusdam eiusdem Nosocomij ministris mandatum est, vti rem maturè conficerent. Hi ergo nullâ interpositâ morâ, & altare, & Crucifixum vno impetu sustulerunt, & hunc quidem humi post quamdam ianuam deposuerunt. Ingressus igitur haud multò post Camillus in illud Oratorium, inuentisque



omnibus susq̄ue deq̄ue positis , ac potissimum sanctissimi Crucifixi imagine post paratam quasi abiecta, tãto cordis dolore inflammatus est ; vt flexis extemplò humi genibus, ipsi Domino in cruce suffixo erumnam suam feruenti prece commendarit : ac deinde ex eo loco sublatum in suum cubiculum eodem vespere deportarit. Erant eo tempore domini Curatores & Conseruatores Nofocomij (quos vulgo Guardianos vocant) dominus Cufanus (qui pòst fuit Cardinalis) Alexander de Grandis, Gautres de Leone, & Tarquinius Lipari.

## CAPVT X.

*Camillus in somnis à Domino consolatione afficitur; ac in bono proposito instituenda Congregationis confirmatur.*

CVM illa nocte cubitum Camillus recessisset, luctu & mœrore, propter nouam de Cõgregatione prohibitionem, confectus; tandem bona eius noctis parte in anxiis & tristibus animi motibus consumpta, varia cogitando defatigatus obdormiuit. Et ecce per quietem videre sibi visus est eundem Crucifixum, quem in cubiculum suum vesperi deportauerat, caput sacratissimum mouentem,  
ipsi-

ipſique animos dantem, partim conſolando, partim in bono inſtituendæ Congregationis propoſito benignè confirmando. Videbatur enim hæc ad eum verba depromere: *Ne timeas puſillanimis: ad vltiora te extende: ego te adiuuabo, & tecum ero.* Quibus dictis viſum euauit. Ipſe autem expergefactus tanto delibutus eſt gaudio, ſic omni rerum euentu contentus, ſic ſolatij plenus, vt nemo mortalium magis: & cum tam firmo quidem propoſito rem inceptam conſtanter vrgendi, vt nec omnes inferos ad ſe ab ea cogitatione dimouendum ſatis valere crederet. Actis exinde infinitis diuinæ Maieltati gra- tiis, de tanta, quantam vix vñquam aliàs, ac ne vix quidem perceperat, conſolatione, ſta- tim ac diluxit, ad conſolandos corroboran- doſque ſodales ſuos nimio adhuc timore per- territos ſe contulit: qui, quòd tirones et- iamnum eſſent in iſta Chriſti militia, vide- bantur ad primum illius interdicti clango- rem abiecti eſſe ac perdit: ſed reſumptis tunc animis, & diuina freti promiſſione, iis nihil obſtantibus, quæ proximè conſtituta fue- rant, cœperunt ſtare fortiter in acie, & inimi- co audacter ſe opponere; ſolito quidem mo- re ſimul conueniendo, ſed nõ palàm ac ma- niſte in aliquo peculiari Oratorio, verùm occultè intra ipſam S. Iacobi ſacram Ædem,

42 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
cuius seruabat clauem ipse Pater Franciscus  
Propheta, vnus è sociis, tamquam eius loci  
Sacellanus, Ibi ergo quàm occultissimè po-  
terant, cœtus suos faciebant, cumque alij  
domestici omnes dormirent, aut laxamenti  
gratiâ per urbem irent; hi quietis & somni  
vice, simul inclusi preces ad Deum funde-  
bant: de diuinis rebus colloquebantur: cor-  
pus flagellis diuerberabant: lectione spiri-  
tuali pristinum pro Iesu Christi amore quid-  
libet patiendi desiderium confirmabant,

### CAPVT XI.

*Camillus statuit Congregationem extra  
Nosocomium fundare: amplecti mini-  
sterium peste infectorum: Sacerdotium  
suscipere.*

**C**VM animaduerneret Camillus ex illis  
occultis Congregationibus dignū ope-  
ræpretium nullum emergere; nec se ea quæ  
destinauerat animo, posse foras in lucem  
edere; hærebat non parum animo confusus  
& consilij expers, nec quid tandem conclu-  
deret, certum habebat. Sed hac confusione  
& hisce dubiarum & incertarum cogitatio-  
num molestiis ipsa Dei benignitas aliorum  
seruorum suorum operâ, eum in hunc mo-  
dum

dum exoluit. Quidam ex eius amicis ( qui beato Philippo Nerio à Confessionibus utebatur ) Marcus Antonius Cortesellus appellatus, ventitare ad Nosocomium præstandæ charitatis gratiâ solitus erat: cum illo igitur totum de Congregationis institutione consilium, quod pridem in animo habebat, communicauit, speciatiuq̃ue enarrauit, quæ sibi à Nosocomij Præsidibus nuper accidissent: precatusq̃ue est, vt si quid hac in re suppeteret auxiliij aut consilij, participem se faceret. Responsionis autem Corteselli summa hæc fuit: Quod quidem ad cogitationem talis instituendæ Congregationis attineret, rem sibi videri nec admodum extraneam, & infirmis necessariam, & habere posse successum: sed quòd cogitaret intra Nosocomij parietes illam instituere; id neque factu facile, neque etiam expediens videri: cum scilicet nihil expectari possit boni ex ædificatione in alieno. Perinde enim hoc esse, atque struere in aère absque vlllo fundamento. Quare suadere se, vt Nosocomio excederet, & domũ aliquam in ciuitate deligeret, vbi pro libitu suo initium meditato operi faceret. Cui consilio, tamquam à Deo cælitus missio, prorsus adhæsit, atque exequi omnino decreuit: tantoq̃ue magis in eo se obfirmavit, quòd consequenti Dominica idem Cortesellus ad Nosocomium

VII

174

comium reuersus hoc insuper addidit, locutum se esse cum Patre Francisco Maria Tarugi (qui postea fuit Cardinalis) & fusè illi rem omnem exposuisse: illum verò valdè approbasse, & quantum sibi talia conata arri-derent, minimè dissimulasse: quin illum hoc etiam amplius adiunxisse, eam Congregationem, si tempore pestilentiae exorta esset, potuisse plurimum adiumenti multis mortalibus tam maligna lue infectis importare. Cuius rei commonitio minimè in terram sterilem cecidit. Siquidem Camillus hoc intellecto, hanc quoque sibi prouinciam, licet periculi plenam, assumere, atque etiam pestilenti morbo laborantibus promptus ferre suppetias destinauit: quod & postea fecit. Sed quia Dominus Deus (qui eum ad res excellentiores vocabat) pedetentim in serui sui illustratione procedebat, inde accidit, vt Camillus è supradicto Corteselli responso in alteram cogitationem multò maioris momenti, quàm prima fuisset, ascenderit. Hæc autem fuit huiusmodi: quòd, quandoquidem in animo haberet extra Nosocomium fundare Congregationem, nunc in mentem & cogitationem ei venerit, se, quamdiu in statu seculari & laico (in quo tunc erat) consisteret, numquam vllos sui sectatores habiturum. Quare hanc iniit rationem, vt primò de Sacerdo-

cerdotij susceptione, & de iis quæ ad illud requiruntur, cogitaret: deinde, vt factus Sacerdos missionem à Nosocomio peteret: tertio denique vt domum in ciuitate compararet: hocque apud se decreto visus sibi est omnes exforbere posse difficultates. Iacta igitur in eum fiducia qui eum confortabat, mox aggressus est à primis fundamentis addiscere Grammaticam. Ad hanc magistro vsus est quodam S. Iacobi Sacellano, qui dominus Antonius Biskainus nominabatur: à quo lectionem quotidie accipiebat: sed eo vitæ functo, admirabilis Dei prouidentia illi alterum multò magis idoneum prospexit Bartholomæum nuper Sacerdotem à Biscaglia, qui, tamquam cælesti illustratione accepisset, hunc rudem hominem quiddam magnum in Ecclesia Dei aliquando præstiturum, cura planè admirabili semper illi aderat, exstimulabat, impellebat ad discendum. Quare dici non potest, quantum studij ac diligentia Camillus ad eam disciplinam percipiendam tali incitatore attulerit: cum & ambulando per Nosocomium lectionem suam addisceret, & de manibus librum vix vnumquam deponeret. Quin & postea, præ desiderio quam citissimè destinata exequendi, non dubitauit (quamuis trigintaduorum esset annorum) aliquanto tempore publicas scholas

las

46 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
las Societatis IESV adire, & infimam Gram-  
maticæ classẽ cum pueris frequentare.  
Aded post Dei amorem cum alia omnia,  
tum etiam pudorem & quamcumque eru-  
bescentiam ponebat. Res porrò erat non  
mediocri admiratione digna, videre quanta  
cum humilitate & patientia in ea classe se ge-  
reret: vbi sanè aliter fieri non poterat, quin  
maxima perfunderetur verecundia, cum se  
tam grandi natu & tanta corporis procerita-  
te, in medio tot pusillorum puerorum ver-  
sari conspiceret. Postremò, tantum diuina  
opitulante gratia allaborauit, & tales in stu-  
diis progressus fecit, vt eorumdem Patrum  
Societatis IESV iudicio, (qui illum valdè dili-  
gebant, & quem domus S. Iacobi Præfectum  
sciebant) idoneus ad Sacerdotium euaserit.

## CAPVT XII.

*Camillus diuina gratia duas magnas elu-  
Etatus difficultates fit Sacerdos.*

**Q**Vamprimùm Camillus se ad susci-  
piendos Ordines idoneum sensit, & Ro-  
manum examen P. Stephani Tuccij subiit,  
confestim de iis breuì capeendis cogitauit.  
Sed mox duæ occurrerunt grauissimæ diffi-  
cultates: quarum prior fuit, quòd cum qua-  
dam

dam Dominica manè cum P. Francisco Propheta in S. Ioannis Lateranensis, ad capiendam primam tonsuram abiisset, D. Iacobus Butius Secretarius, dimissoriis accuratius examinatis, repererit aliquas clausulas necessarias desiderari. Quod ex eorum acciderat ignorantia, qui litteras expediuerant, atque ad Camillum è patria miserant. vnde coactus fuit illo die, absque vlla ordinatione, domum reuerti. Quæ res valdè illum malè habuit, considerantem quàm id longum foret negotium, hominem aliquem in patriam vsque mitti, qui ea quæ in litteris desiderabantur, ibi supplenda procuraret. Verùm in hac versanti anxietate, & à S. Ioannis Æde sacra cum variarum cogitationum æstu domum repetenti, antequam ad Amphitheatrum Coliseum peruenisset, diuinæ benignitati (quæ suorum seruorum lacrymas citiùs ferè, quàm ab oculis deciderint, amat abstergere) miseranter placuit, nonnihil offerre consolationis; nempe tantam eius cordi, tamque certam confidentiam ex illis difficultatum spinis confestim emergendi immisit, vt mox de illa conferendi cum P. Francisco Propheta studio vehementi arderet, diceretque illi: *Pater mi, ego iam nihil planè mæroris in animo residere ex eâ re sentio: quandoquidem diuina bonitas certiore me facere*

VII

178



*facere dignata sit, non transiturum hodiernum diem, quin hac ipsa cura, quæ me coquit, prorsus liberer.* Atque ita planè euenit. nam reuersus in S. Iacobi domum, & flexis coram altari Crucifixi (qui in medio erat Nosocomio) humi genibus, ad dicendum semel *Pater noster & Aue Maria* (quemadmodum facere solitus erat, cùm vel foràs prodiret, vel domum rediret) ecce intrantem videt certum hominem ex vrbe Teatea, qui & patrem eius & omnes consanguineos norat. Is paullò antè negotiorum causa ingressus Romam, ipso die ad visendas vrbs antiquitates se conferebat, ignarusque ibi esse Camillum, casu quodam, aut (vt meliùs dicam) diuino consilio illuc intrauerat. Camillus igitur visus sibi illum recognoscere, totus admiratione plenus se fert ipsi obuium: cumque se esse populares, post tantum temporis interualum quo inuicem non viderant, recognouissent; ad extremum exponit Camillus, quam pateretur circa missum è patria testimonium difficultatem. Qui mox respondit, non modò se ipsi testimonium dare posse, sed etiam alium ipsorum popularem Romæ nunc esse, & quidem Sacerdotem, à quo illud testimonium obtinere posset. Tum verò lætitia exultare & gaudio triumphare Camillus, atque illo Sacerdote inuento, ipsi tres simul vespera

eiuf

eiusdem diei Iacobum Butium adierunt, ut  
 quod deerat dimissoriis, coram ipsi suppleret.  
 Ea res feliciter cessit. vnde secunda Februarij  
 anni M. D. LXXXIII. die sanctissimæ Purifi-  
 cationis MARIÆ Virginis, die ipsi candida  
 & beata, primam accepit tonsuram: deinde  
 minores Ordines in tribus Dominicis con-  
 sequentibus, vsque ad diem festum S. Mat-  
 thiæ Apostoli: quos omnes accepit in tem-  
 plo S. Siluestri in Monte Quirinali, in Pa-  
 trum Teatinorum Sacrario, a Thoma Clo-  
 duello Ecclesiæ Assafensis Anglicanæ Epi-  
 scopo, eodemque Cardinalis Sauelli Suffra-  
 ganeo, ac tunc etiam Gregorij XIII. Pontifi-  
 cis vices gerente. Cùm autem iam nihil super-  
 esse videretur nisi ut ad sacros conscenderet  
 Ordines, subito longè maiori se implicatum  
 difficultateprehendit, quàm in priori fue-  
 rat: nimirum, quòd neque patrimonium, ne-  
 que titulus, neque vllum beneficium ad illos  
 Ordines sacros suscipiendos necessarium sibi  
 suppeteret. Tametsi enim eius pater domi-  
 nus Ioannes, olim in militia Centurio, è for-  
 tunis bello acquisitis satis locuples fuisset, &  
 copiosus, nihilominus (quemadmodum illis  
 ferè omnibus accidit, qui in sanctæ vrbis Ro-  
 mæ depopulatione fuissent, è quibus & ipse  
 Ioannes fuerat) iusto Dei iudicio, nihil ferè  
 aliud moriens filio suo reliquerat, quàm en-

D                      sem

50 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
sem & pugionem. Hæc tota Camilli erat  
paterna hereditas. Consilij ergo tali in re ac  
tempore dubius, postquam alia multa ali-  
quot mensibus frustra tentasset, tandem vi-  
sum est summo rerum omnium Domino,  
citra vllam ipsius industriam & laborem, ne-  
cessaria omnia prouidere. Quodam enim  
vespere in atrio domus S. Iacobi cùm esse  
(id mense Decembri, anno M. D. LXXXIII  
contigit) eum conuenit Firmus Caluus Ro-  
manus, vir summa fide & probitate, quicum  
haud sanè magna intercedebat Camillo ne-  
cessitudo, sed tantùm propter fratrem eius  
Ioannem Antonium Caluum, amicum  
suum, ipsius nonnullam habebat notitiam.  
Inter colloquendum verò cùm sermonem  
induxisset Camillus de suo Sacerdotij ineun-  
di desiderio, simulque de impedimento,  
quod defectu patrimonij non mediocriter  
eum torquebat: adeoque de suis cogitatio-  
nibus, super instituenda Congregatione in  
pauperum subsidium cùm nonnihil indicat-  
set; tum Firmus his intellectis & animo eius  
perspecto, nihil in præsentis respondit aliud  
nisi suadere se, vt spem in Deo collocaret,  
qui seruis suis, cùm res exigit, deesse non so-  
let: nec plus moratus, dicta salute, discessit.  
Domi autem Camilli desiderium attentius  
considerans, & fructus qui ex eiusmodi Con-  
grega-

gregatione colligi possent, mente idemdem retractans, demum diuina inspiratione instigatus, statuit ei patrimonium elargiri. Reuersus igitur postero die ad Nosocomium, Camillo nihil iam minus quàm de illa re cogitanti, quingentos se daturum aureos pollicetur, ad conficiendum censum annum triginta aureorum. Qua pollicitatione stupefactus Camillus, & rem tantam è cælo esse minimè dubitans, hærebat, quibus verbis diuinæ Maiestati, & huic eximio eius seruo gratias ageret. Multò tamen magis hæsit mente attonitus, cum conuento Iacobo Butio Notario Vicarij, vt de hoc promisso illum condocefaceret, responsum ab eo accepit, quingentos aureos non sufficere: sed procurandos ab eodem & alios centum, ad constituendum patrimonium triginta sex aureorum annui census. Camillus igitur ei obtemperans ad Firmum redit, refertque quid Notarius dixerit. Nec mora: addit Firmus & alios centum aureos, assignans illi censum annum triginta sex aureorum, quoad viueret: quemadmodum liquet ex actis Evangelistæ Ciccarelli, decima sexta Ianuarij, M. D. LXXXIV. Ita denique in templo sancti Ioannis Lateranensis ab eodem supra nominato Episcopo ordinatus est, sumpto Subdiaconatu in Quatuor Téporibus post Cineralia,

D 2                      lia,

lia, Diaconatu ante Dominicam *Sirientis*,  
 Sacerdotio ad Pentecosten: denique primitias  
 celebravit decimâ Iunij eiusdem an-  
 ni M. D. LXXXIV. die Dominica, in parvula  
 ædicula S. Iacobi Incurabilem, ad altare  
 beatissimæ Virginis: vbi tam socij eius, quàm  
 alij probi homines non mediocrem pietatis  
 gustum senserunt: quorum plerique in eo-  
 dem Sacrificio sanctissimum Domini cor-  
 pus ex eiusdem manu sumpserunt; ac nomi-  
 natim Firmus Caluus, singularis eius bene-  
 factor, qui ipso primitiarum die eidem Ca-  
 millo donauit vnum calicem, vnum Missa-  
 le, tres coloris diuersi planetas, cum omni re-  
 liqua ad sancti Sacrificij celebrationem ne-  
 cessaria supellectile. Vnde fundata post-  
 modum Religione, tanti memor beneficij  
 Camillus, modis omnibus laborauit, vt eun-  
 dem Firmum semper deinceps domi habe-  
 ret contubernalem: cui & tria cubicula assi-  
 gnauit, & peculiarem illius curam haberi vo-  
 luit: ac de omnibus tam ipsi quàm famulo,  
 qui ipsum exuebat induebatque, affatim pro-  
 uideri. Ipse autem Firmus vicissim, præter  
 quam quòd moriens hanc Religionem bo-  
 norum suorum heredem instituit, etiam lar-  
 gas, quoad vixit, eleëmofynas dedit: specia-  
 tim autem templo nostro sanctæ Magdale-  
 næ multa ex argento insigniter fabrefacta  
 (quæ

(quæ pretium excedant duorum millium & quingentorum aureorum) liberaliter obtulit: nempe quatuor paria candelabrorum, crucem, thuribulum, calicem cum patena, sacram pyxidem, sphæram ad 40. horarum preces coram sanctissimo Sacramento, cui semper fuit addictissimus. Excessit post hæc ad meliorem vitam, anno salutis millesimo sexcentesimo duodecimo, cum ætatis octogesium quartum attingisset, sepultusq; est in templo nostro sanctæ Magdalenæ, Romæ.

## CAPVT XIII.

*Camillus Nosocomio excedit, & in templo diuæ Virginis ad Miracula principum dat suæ Congregationi.*

**P**AUCIS diebus, quàm Camillus primùm Sacris operatus esset, Nosocomij Præsides (quibus pergratum fuit Præfectum domus ordinatum esse Sacerdotem) ipsum ad præteritos eius labores aliquatenus remunerandos, exigui facelli, quod Domina Miraculorum vulgò appellatur, & vicinum est portæ Flumentanæ, Sacellanum cõstituerunt. Quo in loco arbitratus Camillus liberè se posse initium Congregationi dare, nihil iam aliud restare existimabat, quàm vt officio Præfecti  
 D 3                    domus

54. VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
domus renuntiaret, atq; Nosocomio abscē-  
deret: in hoc tamen exequendo nonnullam  
prouidebat fore difficultatem, non tantum  
ex parte sua & Curtij, sed multò magis ex  
parte Bernardini, qui cum ob eximiam vitæ  
probitatem haberetur ab omnibus velut  
quoddam eius Nosocomij columen & fir-  
mamentum, erat ea de causâ domino Cu-  
fano, vni è Præsîdibus, mirificè charus: vnde  
sibi pro certo persuadebat, eius discessum  
vehementer eidem domino displiciturum.  
Verum ipse eiusque contubernales in Domi-  
no confisi (pro cuius amore in hunc charita-  
tis amabilem chorum intrauerant) inter se  
definiuerunt, omnia abrumpere mundi retinē-  
cula, & viros se præstare magnanimos. Ita-  
que omnes vnanimiter consenserunt, vt Ca-  
millus & Curtius primi facultatem abeundi  
in patriam, expediendorum negotiorum  
causâ, deposcerent; Romam autem reuerſi  
non amplius ad Nosocomium, sed ad prædi-  
câ D. Virginis Ædiculam habitaturi se con-  
ferrent, vbi & Bernardinus confestim esse  
affuturus, deinde P. Franciscus Prophe-  
ta expeditis quibusdam suis litibus, sese iisdem  
ubicumque demum locorum essent, simili-  
ter coniunctum veniret. Alij duo, nempe Lu-  
douicus Aldobellus & Benignus, cum illis eo  
tempore nõ aderant: quorum ille iam Noso-  
comi

comij S. Ioannis factus erat Prior, alter verò iusta de caussa Nosocomium reliquerat. Ea pactione facta, Camillus & Curtius abeundi copiam petière: quam domini Prouisores (licet eos redituros putarent) ægrè tamen concesserunt. Tum verò Camillus officio Præfecti domus dextrè admodum se exoneravit; dicens se tempus nescire, quando esset reuersurus: propterea non abs re futurum si de alio sibi prospiceret. Postquam igitur in Samniū profecti aliquamdiu abfuisent, inde Romam reuersi rectà ad dictam D. Virginis Ædem se cõtulerunt: quò etiam iuxta pactū ab ipsis initum statim accessit Bernardinus, fuitque ibi omnium vnanimis consensus & grata coniunctio. Quæ quidem cœpta est eo loco, sub initium Septembris, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, vltimo Pontificatus Gregorij XIII. Quo tempore iure dici potest Camillus verum & non interruptum dedisse principium suæ Congregationi: quandoquidem in Octaua Natiuitatis beatissimæ Virginis, ex eius sententia vestem mutauere Bernardinus & Curtius, & tunicam talarem cum nigro pallio sumpserunt; nulla tum illi imposita cruce, neque vlllo alio signo. Itaque Congregatione nostra modò nata cum sanctissima Virgine, cœperunt quotidie illi tres Spiritus sancti

D 4 No.

MII

174



Nosocomium visitare: vbi cum feruentissimo charitatis ardore, iuxta breuium Regularum à Camillo scriptarum formam, infirmis ministrabant, cibos porrigendo, lectos sternendo, linthea mundando, protestationem Fidei præeundo, animas Deo commendando, ad patientiam & ad sanctissima Sacramenta deuotè suscipienda exhortando, denique omne genus insolitæ charitatis exhibendo: ad quam fieri nullo modo poterat, vt virtus & diligentia ordinariorū ministrorum aspiraret, nedum attingeret. Quod ipsi cum tanto amoris intimi sensu præstabant, vt satis appareret, illos non tamquam hominibus mortalibus ac miseris, sed tamquam Christo ipsi illuc præsentibus, & in lectis iacentibus, & vulnerato ministrare: ita vt quicumque ipsos intuerentur, vehementer istam eorum charitatem admirarentur, & talium exemplorum bono odore recrearentur.

## CAPVT XIV.

*Dominus Deus ad maius perseverantiam  
Camilli experimentum, nonnullis eum  
curis atque angoribus exerceri sinit.*

**N**Olo hîc silentio præterire vnum Camilli eximium factum erga charum & dilectum suum Crucifixum: qui ipsum in nocte

nocte illa mœroris & afflictionis plena consolatus est, atque in bono proposito roborauit. Cùm ergo iam dictum vitæ nouæ institutum inchoasset, recordatus se in suo Nosocomij habitaculo Crucifixum reliquisse, illuc ad eum accipiendum concessit: & quamuis hæc sancta imago admodum grãdis esset, conscendit nihilominus vbi ea stabat infixæ, illamq; brachiis strictè complexus ad Ædem S. Mariæ ad Miracula, aperto capite, medio die, via publica Portuenti, tanta cum deuotione deportauit; vt cuncti eum spectantes se in genua prosternerent, pectusq; diuerberarent, ac sanctum illud Redemptionis nostræ signum, se ipsi Crucifixo commendantes, adorarent. Multæ porrò feminæ è fenestris eum contuitæ, aliæ alias ad spectandum Camillum, qui Crucifixi statuam ad D. Virginis Ædem baiularet, conuocabant. Ex iis autem qui ad hoc acciti sunt spectaculum, fuit etiam ille suprâ laudatus Firmus, qui ab hera domus accersitus non potuit tanta Camilli humilitate, ac tam pio eius factio non vehementer commoueri. Et sanè Camillo valdè necessarium erat eiusdem Christi Crucifixi præsens auxilium: quippe cui intra paucos dies tria occurrerunt, quæ mentem eius perquam vehementer concuterent. Primum fuit, quòd dominus Cusanus,

D 5 nus,

58 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
nus, intellecto nouo vitæ genere, quod Ca-  
millus & socij eius aggressi erant, & specia-  
tim de ablata Crucifixi imagine certior fa-  
ctus (quod erat signum eos non amplius ad  
Nosocomium reuersuros) credebat se ab iis  
contemptui habitum atque illusum: vnde  
haud mediocriter aduersus Camillum, tam-  
quam qui alios ab officio suo & recta via di-  
uerteret, est exacerbatus. Quapropter in san-  
cti Iacobi atrio obuiam ei factus, publicè ip-  
sum perquam asperè acriterque increpauit,  
adiectis quoque grauibus interminationibus,  
nisi deinceps ab alijs Nosocomij ministris  
abducendis abstineret. Et quasi parum hoc  
esset, etiam apud B. Philippum Nerium eius  
Confessarium (quæ secunda fuit afflictio)  
querimonias depositum iuit: quòd scilicet  
Camillus non solùm ipse Nosocomium de-  
seruisset, sed etiam quòd præcipuos ex eo Of-  
ficiales seduxisset: & hoc quidem totum fe-  
cisse eum arguebat, quòd sibi vanè persua-  
sisset, atque perperam animo imbibisset,  
vnam nescio quam Congregationem nuga-  
toriam (sic eam appellare solitus erat) insti-  
tuere. Tum B. Philippus, qui omnia hæc-  
tenus Camilli facta probauerat (quamdiu qui-  
dem in Nosocomio is perseverauerat) cum  
nunc eum se inconsulto inde abscessisse &  
hæc patrasse audiret, siue ob ingerendum illi  
pudo-

Ca- pudorem, siue ad redigendum rursus in offi-  
cia- cium Præfecti domus hospitalis, noluit eum  
fa- ampliùs audire de peccatis confitentem; sed  
s ad iussit, vt alium sibi Patrem spiritualement deinceps  
b iis quæreret. Quæ res quanto Camillum  
nde mœrore obruerit, dictu est incredibile:  
am- nihil tamen aliud in hac tristitia, quàm bea-  
di- tum Philippum summa cum modestia &  
an- animi submissione precatus est, ne id à se  
e ip- factum miraretur: quippe se interno spiritu,  
uit, quasi vi adactum ad aliud agendum, quàm  
ous, ad sibi soli vacandum. Hanc porrò tempe-  
stis- statem (quæ certè ob amorem, quo cuncti in  
hoc B. Philippum ferebantur, haud fuit exigua)  
eius non multò post alia tertia excepit, duabus  
io) præteritis acerbior (volebat quippe Domi-  
icet nus eorum perseuerantiæ maius aliquod edi-  
de- specimen) grauiissima scilicet tam Camilli  
Of- quàm Curtij vno eodemque tempore infir-  
fe- mitas; eaque partim è multis laboribus &  
ua- fatigationibus contracta, partim è tenui ac  
ter, misero victu, partim denique ex incommoda  
ga- difficili que cubatione: cum omnes super  
sti- storeis dormirent, nec aliud esset tribus te-  
ste- gendis operimentum, quàm duo centones  
qui- ab eodem Firmo Caluo pecuniâ comparati.  
um Quibus incommodis accedebat aëris ipsius,  
& vbi ipsorum erat domicilium, malignitas.  
illi Nempe situm erat ad ripam Tiberis: vnde  
do- solet

III  
174

solet vt plurimum spississima nebula exhalar  
 ri. Hisce tamen omnibus minimè prostra  
 tum est fortissimum Camilli pectus: sed sco  
 puli instar in mediis Oceani fluctibus immo  
 ti, non solùm constanti animo sui morbi  
 grauitatem sufferebat; sed etiam Curtium  
 ad eandem in malis patientiam roborabat.  
 Dicebat enim, Dominum Deum idcirco  
 hanc ipsis immisisse infirmitatem, vt cum  
 boni euasissent patientiæ magistri, scirent  
 deinde maiori cum charitate infirmis fratri  
 bus opitulari, eorumque doloribus humani  
 ter condolere. Verùm perdurantibus, im  
 mò & ingrauescentibus malis, neque ipsis in  
 sua illa habitatione quidquam commodita  
 tis reperientibus, necesse fuit ambos eò, vnde  
 discesserant, remeare: Camillum quidem in  
 sancti Iacobi Nosocomium, curandæ vale  
 tudinis causâ: vbi eadem illi habitatio red  
 dita est, quam habuerat, dum esset Præfectus  
 domus ( sperabant enim domini Procurato  
 res, eum relictis cogitationibus pristinis, ad  
 curam Nosocomij rediturum) Curtium verò  
 ad sancti Ioannis hospitem item domum,  
 atque in ipsius Prioris, antiqui eorum Fratris,  
 qui illum incredibili charitate excepit, do  
 micilium. Solus restabat integer bonus senex  
 Bernardinus, qui ardentissima flagrans cha  
 ritate, modò hunc, modò illum ibat visita  
 tum.

tum. Tandem verò (quæ Dei fuit misericordia) ambo conualuere: sed tamen ante confirmatam valetudinem, quamuis non parùm adhuc debiles ac languidi, suas ædes repetiere: vbi secundùm pristinam instituti sui consuetudinem inceperunt quotidie, manè & vesperè, ad sancti Spiritus se conferre, nihil curantes, neque ventos, neque pluuias, neque alias quascumque aëris iniurias, aut temporum incommoda. Vitam interim in tanta sustinebant paupertate, vt si modò panem simplici aqua concoctum haberent, eo contentissimi viuerent. Hunc sibi à Nofocomio reuersi cibum coquebant. Elegerunt tunc omnes in Patrem suum spiritualem P. Octauianum Capellum, Societatis IESV Sacerdotem, qui illos peramanter receptos tam diu Pœnitentiæ Sacramento iuuuit, quoad Camillus Sacerdotes & Confessarios cœpit in Ordinem suum admittere. Id autem in confesso est, eum Patrem magnum illi adiumento extitisse: quandoquidem perspectâ in Camillo, tametsi homine indocto & idiota, animi magnitudine, ad res altas idonei, & iam hanc nostram Congregationem parturientis, tantum abfuit, vt aut venientem fœtum præfocaret, aut ipsum suæ humilis personæ intuitu animo deiceret; vt potius Spiritum sanctum in eo operantem intel-

VIII

174

62 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
intelligens, instar bonæ obstetricis, eum ar-  
maret, atque ad opus persequendum, quod  
ad Dei gloriam & salutem animarum in-  
choasset, exhortaretur, ac denique ad par-  
tum edendum atq; educendum adiuuaret.

### CAPVT XV.

*Camillus relinquit Ædem diuæ Virginis  
recipit subditos: Dei prouidentia in  
sustentandis adiuuatur.*

CVM vicini fluminis infestæ auræ gra-  
uissima inferre ipsis pergerent nocu-  
menta, constituit Camillus ab ea Æde alibi  
commigrare, & opportuno loco ac situ do-  
micilium sibi suisque comparare. Vno au-  
tem ex animi sui sententia inuento in via, quæ  
ab Officinis obscuris nomen habet, labora-  
bat quo pacto illud sibi conduceret. Nec  
enim satis nummorum tunc in promptu  
erat, vt semestris spatij solutionem anticipa-  
ret. Prostabat autem domus locanda in an-  
nos singulos aureis quinquaginta. Quare in  
Domino confisus (de cuius antiquis promissis  
spem animo conceperat multò certissime-  
mam) super hac præsentis necessitate cum  
vno è necessariis, Pompeio scilicet Barattelo  
Insubri, est familiariter collocutus. Ille  
tam

tam magnum eius animum cum admiratione reueritus, qui nimirum rem tantam ac tam difficilem (qualis est vnus Congregationis in vrbe Roma institutio) auderet attemptare, dicti pretij solutionem in se recepit. Et quò illius animum magis roboraret, iniecta in sacculum manu ei annumerauit in ipso temporis articulo, mediaque in via, ad semestris anticipationem, aureos triginta. Quo repentino subsidio (quod Camillus thesauri instar aestimabat) domum conduxit: ad quam inhabitandam ineunte anno M. D. LXXXV. concesserunt Camillus, Bernardinus, & Curtius. Nec enim focij tunc plures erant: cum in priore domo vnicum dumtaxat, Palamedem nomine, in coetum admisissent. Sed hic, quam primum duram & laboriosam hanc vitam, quam illi amplexi erant, expertus esset, ad saeculum redierat. Cum igitur ex hac domo ad visitanda de more Xenodochia & Nosocomia quotidie prodirent, huius rei fama per urbem citò dispersa, multi, tam Sacerdotes quam laici cuiuslibet conditionis, precibus instabant ad eos aggregari: quorum pars magna (propterea quòd factis difficile esset institutum, atque omnibus hominum sensibus ac naturæ motibus repugnans) vel breuè moriebantur, vel retrò respiciebant, & abibant: pauculis solum re-

manen-



64 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
manentibus, quorum & maius robur, & spiritus melior, & voluntaria cum cupiditatibus pugna, & desiderium ardens in Xenodochij pœdore, aut in cuiusvis alterius loci fœtore, propter Dei amorem moriendi, fortibus coniunctos athletis retinebat. Erant autem illi ex omni natione & lingua, populares, extranei, docti, indocti, quos omnes libenter Camillus admittebat: nec magnam in delectu diligentiam adhibebat, sed permittebat, ut institutum eos cribraret, & periculum ipsorum faceret. Et sanè constat, Congregationem eo tempore opus habuisse haud minùs robustis, minusque animosis pectoribus, quàm quæ sic cribrata essent, ad occurrendum scilicet ipsi morti, & ad omnia difficultatum (quæ se initio in Noloscomiorù ministeriis offerebant) perumpenda obstacula. Omnes porrò socij stipe à dicto Pompeio donatâ largiter sustentabantur: qui Pompeius tam benigno erat prolixoque in eos animo, ut præter statutum conductæ domus pretium, etiam pistori cuidam demandarit, ut panes, quotquot postularent, traderet, suisque rationibus adscriberet: nec satis: sed crebrò etiam ipse interdum denos, interdum vicenos aureos, in occurrentes usus deportaret. Denique videtur Dominus Deus virum illum eo consilio istis nasci

tem

temporibus voluisse, quibus nostræ Congregationis primordia subleuare, ac fouere suis copiis posset. Cuius charitas in tam celsū perfectionis gradum quotidiano progressu euasit; vt cum Bernardino colloquens sæpius dixerit, se posse, si modus quidem eos adiuuandi alius deficeret, vel seipsum alteri mancipare, vel ad siluas cæduas se conferre, ibique sectione lignorum mercedem ad ipsos sustentandos acquirere. Postquam autem per Pompeij ex vrbe discessionem solita cœperunt deficere subsidia, tum verò fidelissima Dei prouidentia (quæ Camillum sub protectionis suæ alis susceperat) confestim de altero adiutore & fautore prospexit. Cùm enim Mauritius quidam, Pontificis Clauarius, Bernardino amicus in morbum incidisset, eiusdem Bernardini commendatione à Camillo obtinuit, vt domi nostræ curaretur. Hic igitur conspecta Fratrum nostrorum egregia erga se charitate, quatuor illis loca in montibus donauit: quibus diuenditis collecti sunt à Camillo quingenti circiter aurei. Præterea verò, cùm postea idem Mauritius vitam cum morte commutaret, heredes reliquarum fortunarum suarum eosdem fecit quod non minimū fuit in illis initiis nostræ Congregationis subsidiū. Bernardino autem, pro insigni, quo eum prosequabatur, affectu

E suam

suam legauit argenteam clauam : cuius quoque pretium in communem arcam redactum est. Ita hominibus istis pauperculis, qui paullò antè vix tres storeas, in quibus somnum caperent, habuerant, iam diuina prouidentia etiam clauas ex argento ad ipsorum sustentationem misit. Cum hoc subdicio Congregationem sustinuit Camillus ad id vsque tempus, quo fuit à sancta Sede Apostolica confirmata : & quo facultas ei concessa est stipem Romæ vicatim quæritandi.

## CAPVT XVI.

*Camillus amplectitur curam moribundorum extra Nosocomia.*

**T**Ametsi primus Camilli scopus in sua Congregationis fundatione fuerit, in speciatim opitulari, qui in sancti Iacobi Nosocomio, aut in aliis similibus locis auxilio Romæ indigerent; apparuit tamen postea consilium diuinæ Maiestatis (cui proprium est è paruis facere grandia) citra vllam comparisonem multò maius fuisse, atque ad plura & excellentiora se protendisse. Nam Deus quidem ab initio tantum illi luminis in primo suo proposito dedit, quantum ipsi eo tempore, pro tenui ac debili captu, necessarium fuit, vt id quod cogitarat, effectum da-

ret : postea verò infinità suâ sapientiâ pedentim ad illustrandam magis magisque serui sui mentem processit, donec illam ad eum scopum perduceret, quem diuina sua voluntate ab æterno ordinauerat ac stabiliuerat. Is autem non erat alius, quàm Congregationis huius operâ plurimis suorum fidelium necessitatibus subuenire: siquidem nihil vquam ex alio prodire iubet, quod non sit primæ intentioni suæ aptum atque conforme. Quod quàm verum sit, potest euidenter cognosci ex multo lucis eius incremento, quam ei Dominus Deus noster ab ipso foundationis huius principio, per quotidiana augmenta concessit. Certum enim exploratumque est, illum in primo mentis suæ proposito (quod huius arbusculi primus truncus extitit) nihil cogitasse, nihilque destinasse aliud, quàm Congregationem intra Nosocomij limites fundare & continere: Deum autem, qui nolebat rem tantam vnus loci angustiis includi ac terminari, neque hanc plantam alieno in fundo seri, tot permisisse ex aduerso occurrere impedimenta, vt demum foris in diuæ Virginis Ædicula fundaretur: vnde ramos suos dilatare, atque ad omnia totius mundi Nosocomia propagare posset. Deinde Camillus pauculos tantum ministros, eosque sæculares, ad eam vocare

aut admittere decreuerat: sed Dēus, qui al-  
 tiora spectabat, & qui cognoscebat, quā  
 esset incongruum, administrationem curam-  
 que tot animarum hominibus rudibus &  
 idiotis committere; statuit, vt Congregatio  
 multis statim Sacerdotibus abundaret, pri-  
 musque ipse Camillus se Sacerdotio initiā-  
 dum offerret. Prætereā ille in animo sua  
 Congregationem quamdam liberam ac so-  
 lutam depinxerat, nec vllō, quod obstricto  
 teneret, voto consecratam: Deus autem, qui  
 eam stabilem & æternam esse cupiebat, ef-  
 fecit, vt intra exiguum temporis spatium ipsi  
 summi Pontifices non modò in Congrega-  
 tionem approbatam, sed etiam in Religio-  
 nem voto solemnī adstrictam erigerent ac  
 firmarent. Denique non venerat Camilli-  
 tum in mentem, neque de pestilentia infe-  
 ctis, neque de carcere inclusis, ope Congre-  
 gationis suæ adiuuandis: Deus verò, cui pla-  
 cebat vt nullum infirmorum genus à chari-  
 tate huius sacri cœtus excluderetur, sua be-  
 nignitate determinauit, vt hanc quoque tab-  
 bus opitulandi prouinciam salutari suæ Con-  
 gregationis sinu complecteretur. Postremū  
 ille minimè habuerat in animo, eos qui in  
 priuatis ciuium ædibus vita excedunt, se  
 subsidij atque solatij participes facere: Deus  
 è contrario ingentem cernens animarum

prædam, quam diabolus ad ipsam mortis  
 nuam expectans atque insidians, in illo extre-  
 mo digressu exercet, simulque intuens illa  
 opima, quæ de miseris mortalibus refert, spo-  
 lia, Camillo inspirauit, & ( si fas est sic loqui )  
 velut furentis populi impetu coëgit, vt hanc  
 quoque maximi momenti curam, velut præ-  
 omnibus mundo ipsi necessariam, suscipere-  
 ret. Cùm enim Deus Opt. Max. non pau-  
 cas fidelibus suis Religiones iam prouidisset,  
 quæ omnes ordinariè illorum saluti in vitæ  
 & incolunitatis tempore inuigilarent, vo-  
 luit his quoque extremis temporibus ( qui-  
 bus videtur ipse mundus perpetuò ad vetu-  
 statem decurrere, atque in charitatis studio  
 refrigerescere ) vnã aliquam suppeditare  
 Congregationem, quæ peculiariter & ex  
 instituto suo, in vltimo vitæ articulo, & ex-  
 tremo salutis certamine ipsis præstò esset.  
 Quod supremum charitatis officium Ca-  
 millii Congregationi reseruauit: in quod ip-  
 sa se insinuauit hoc modo. Inter alia chari-  
 tatis officia, quæ Camillus & socij in No-  
 focomio sancti Spiritus pro virili præstabant,  
 vnum erat moribundis ad benè moriendum  
 ferre suppetias; quod partim consolando,  
 partim roborando, iuxta illud Ecclesiastici  
 monitum, *Consolare illum in exitu spiritus  
 sui*, gnauius efficiebant. Tam gratum igi-  
 tur

70 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
tur hoc charitatis obsequium, tam quæ toti  
vrbi Romæ acceptum fuit, vt multi tam  
nobiles quàm ignobiles, tam Prælati quàm  
alij omnis generis & conditionis homines,  
sed speciatim extranei, qui domos con-  
ditias habitabant, cœperunt ipsos ad eos  
qui in priuatis eorum ædibus moriebantur,  
accersere. Quippe multò tutius esse iudi-  
cabant, in extrema illa hora salutem animæ  
nec parentibus, nec feminis, nec domesticis  
famulitijs credere, cùm quotidiana docerent  
experientia, maiorem eorum partem cogita-  
tiones suas potius ad opes occupandas, quàm  
ad miseri moribundi salutem procurandas  
applicare. Non quiuit proinde Camillus æ-  
quissimæ postulationi non satisfacere, præ-  
sertim cùm posset hoc in negotio illud ap-  
tissime vsurpare: *Vox populi, vox Dei*. Ita  
que tam diuino instinctu, quàm sociorum  
voluntate, quos in facti huius consilium ad-  
hibuerat, hanc etiam charitatis partem am-  
plexus est: eam quæ primi spiritus sui propo-  
sito, & quasi trunco, in seuit: constituenda  
scilicet, vt à sua Congregatione (quemad-  
modum in Bullis Pontificis diffusius contine-  
tur) tam diebus, quàm noctibus, promptum  
iisdem infirmis vita & salute periclitantibus  
auxilium afferretur. Et sanè hoc ipsum genus  
charitatis, tantum importare commodi ad  
plur-

plurimorum salutem animaduersum est; vt expediens fuerit, etiam ab ipsis Ecclesiæ primordiis, peculiarem ad eiusmodi opera Religionem fuisse institutam, & quidem amplio-rem, ac hominibus spiritualibus & eruditis abundantio-rem, quàm quæcumque alia fue-rit, aut certè qualibet è celebrioribus haud inferiorem. Hanc autem ipsam operam suscepit præstandam Camillus postremis men- sibus Gregorij XIII. qui ad cælestia emi- grauit decimâ Aprilis anni M. D. LXXXV. cui successit in Pontificatu Sixtus V. die eiusdem mensis vigesima quarta in Ecclesiæ Pastorem electus. Quo tempore Camillus animaduertens Congregationem suam ma- gna in dies incrementa continuè sumere, multosque esse qui scire desiderarent, quo nomine ipsi vocarentur: ipse acceptis super hac re suorum sociorum sententiis, & cogni- ta eorumdem ardenti erga infirmos charitate (quos tamquam dominos suos & patronos æstimabant) conclusit vocandos esse MINI- STROS INFIRMORVM: cùm alioqui hæc- nus appellati fuissent, CONGREGATIO PA- TRIS CAMILLI.



## CAPVT XVII.

*Bernardinus primus è socijs Camilli ad  
vitam meliorem excedit.*

**A**Liquot mensibus, post inditum Congregationi nomen, orbatus est Camillus primo & vnicè dilecto fratre & sodali suo Bernardino. Sed quoniam hic frater tantum claruerit vitæ probitate, vt ab omnibus, qui eum norant, communi voce atque famam tamquam sanctus haberetur; facturum me operæ pretium existimaui, si paucula de illis, & ea dumtaxat, quæ ab eius sodalibus Camillo & Curtio sæpè suprâ nominatis accepta breuiter commemorauero. Antequam ergo Bernardinus, vt hinc ordiamur, Camillo associaret, multos annos Romæ in S. Iacobi Nosocomio fuerat custos supellectilis: sed in iuuentute, comportandis in urbem lignis ad locum vulgò ad Ripam dictum, pro opere ordinario vacauerat. In quo tametsi esset toto die occupatus, non idcirco tamen orationis mentalis exercitium negligebat: quippe solitus à signo Vespertino, quod ad *Ave Maria* datur, continuæ precatiõni ad mediam vsque noctem (quo tempore ad Martinum Aræ-cæli mos est pulsari) insistebat: tum autem quieti se componens somni tantum

tillum capiebat, donec manè alterum signum eiusdem Angelicæ salutationis in S. Rochi ederetur: qua hora perpetuò & constanter surgebat, atque ad solitam lignorum baiulationem cum sua crate se conferebat. Accidit autem illi sæpenuerò, vt in oratione flexis genibus noctem totam perstaret: cum eum scilicet ob diurnos labores nimis fatigatum obrepens somnus occupasset: ac tum quidem sese in aurora frigore gelidum & coronam precatoriam manu tenentem, & humi genibus nixum aduertebat. Et quamuis miserum corpus multis maceratum fatigationibus gereret, tamen vt spiritui continenter subiectum teneret, nouis illud oneribus & cruciatibus tam flagellorum quàm ieiuniorum, ne recalcitraret, coërebat. In sustinendis verò patienter ac leuiter iniurijs, mirum quanti vir exempli fuerit. Mauritium certè summi Pontificis Clauarium (cuius supra mentio facta est) hoc de illo referre solitum ferunt: quòd die quadam in vicum Ripæ ligna deferens, quodam casu in aulicum prætereuntem cum crate sua impegerit, hic autem plurimum ea re indignatus, absque vllò honestatis prudentiæve respectu, in multorum mortalium præsentia, terribilem ei colaphum infregerit. Quid verò tali in contumelia Bernardinus? nempe cratem suam, quasi iamiam

E s . vindi.

vindicaturus, in terram deponit: ad hominem decurrit: cunctis autem, quò res eura esset, expectantibus, & nihil aliud, quam vt ad manus veniretur, opinantibus; ecce hic vice vindictæ, mansueti agnelli instar, coram eo genua demittit: sicque illum precabundus affatur: Postquam mihi colaphum pro libito tuo infregisti, te deprecor, vt & alterum mihi infligas pro voto meo: & hæc dicens, maxillam ei alteram (quemadmodum Iesus Christus in Euangelio exhortatus est) porrexit. Quo factò percussor ille conuictus, viam suam pudore & confusione plenus abiit: hic autem benefacti conscientia lætus atque alacer, resumpto onere iter perrexit. Idem annorum quadraginta spatio sanctissima Sacramenta frequentare solitus, vidit aliquando in sacra Hostia Iesum infantulum: de qua re testimonium crebrò perhibuit P. Octavianus Cappellus qui erat ipsi à Confessionibus, & qui Patri nostro Camillo id retulit. Tantæ autem cum esset puritatis atque innocentie, vt talibus visis dignaretur, non omnino tamen expers tentationum fuit: immò verò longè grauissima, & de altissimo quidem omnium mysterio, nempe sanctissimæ Trinitatis, tentatione percussus est. Quippe pro ingenij & iudicij sui tenuitate assequi non poterat, quonam pacto secunda Patris intelligentia,

gentia, per veram generationem coæternum  
 & sibi similem Filium genuisset. Idcirco &  
 multa pœnarum genera voluntarius subibat,  
 & septem vrbs Ecclesias frequenter obibat,  
 & feruidis precationibus Deum sollicitabat,  
 vt eum dignaretur tanta tamque molesta  
 tentatione & periculo eximere. Ex qua tenta-  
 tione tandem à Domino maiestatis ita expedi-  
 ditus fuit: vt nihil prorsus ad reliquum vitæ  
 tempus remanserit. Apparuit enim illi in  
 somnis ipse æternus Pater, instar pulcherrimi  
 senis, omni ex parte candidi, è cuius ore foras  
 prodibat puerulus longè formosissimus, &  
 omni specie Angelica multò excellentior.  
 Erat autem ingenio tam hilari, & indole tam  
 iucunda, vt vel solo eius aspectu infirmi re-  
 crearentur, & mœrorem deponerent. Neque  
 vmquam intereà vel primi spiritus feruor in  
 ipso intepuit, vel charitas refrixit. Tanta  
 enim illi inerat sermonis suauitas, & dicendi  
 gratia, vt quidquid à quolibet peteret, im-  
 petraret. Sæpè, cum esset sæcularis, in die  
 Festo omnes baiulos, eiusdemque sortis ple-  
 beios homines, in vico Ripæ ad se aggrega-  
 bat: deinde conscensis in media platea scalis,  
 communes illas Ecclesiæ preces *Pater  
 noster & Aue Maria* ipsos edocebat. Cum  
 autem Congregatio in vico Officinarum ob-  
 scurarum adhuc habitaret, neque dum Ca-  
 millus

LIII

178

76 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
millus in animo habuisset templum sanctæ  
Magdalenæ procurare; quotiescumque Ber-  
nardinus ante illud pertransibat, dicere socio  
solebat: *Frater mi, templum illud erit nostrum.*  
quod ita certum tenebat, vt semel cum illac  
viam haberet, clausumque offendisset, con-  
uersus ad socium dixerit: *Flectamus hic ge-  
nua, mi Frater, in media via, & dicamus semel  
Pater noster & Ave Maria, ad gloriosam illam  
Sanctam. Suggestit enim mihi spiritus id tem-  
plum fore nostrum.* Atque ita fuit, vt suo di-  
cetur loco. Cum verò adhuc esset adole-  
scentulus, ac primùm è natali solo discede-  
ret, vt Romam proficisceretur, accidit vt, non  
suppetente sibi viatico, staret aliquantisper  
animo suspensus, viamne iniret, an secus: in  
qua dubitatione visus est vocem audire sibi  
dicentem, *Exi è terra tua, & perge: aureum  
nummum in via reperies.* atque ita profus  
contigit. Vix enim triginta passus fecerat, &  
nummum inuenit, & cum illo Romam iuit.  
Denique P. Camillo tandem associatus, viam  
cum illo omnium laborum, sollicitudinum,  
& ærumnarum, quæ in educenda & educan-  
da paruula illa planta subire oportuit, parti-  
ceps fuit. Optabat quidem videre illam à san-  
ctâ Sede Apostolica approbatam, sed con-  
cessum non est. Nam ad annum ætatis sexa-  
gesimum circiter cum peruenisset, vitam re-  
liquit,

liquit, die Augusti mensis decima sexta, anno M. D. LXXXV. inter Camilli manus, qui tam bono & fideli socio se orbarum sentiens, eum amarè fleuit. Quòd autem Congregatio necdum ædem sacram haberet, ipse, Patris, Octauiani illorum Confessarij commendatione, sepultus fuit in templo Societatis Iesus. Conceperat porrò Camillus tantam de probitate eiusdem socij sui opinionem, vt sapiùs de illo inter sermocinandum diceret, quasi certum sibi esse, Bernardini animam purgatorij ignes non attrigisse, sed rectà in cælos euolasse. Fuit hic Frater primus, qui Congregationem nostram ingressus est, & primus qui felici morte, ex ea ad aliam Beatorum in cælis Congregationem emigravit.

## CAPVT XVIII.

*Sixtus V. Pontifex Congregationem Brevi Apostolico confirmat.*

Camillus, accrescente in dies eorum numero, qui suauis recentis plantæ odore illecti, sub eius vmbra certatim conuolabant, arbitratus non posse nec licere tantam Congregationem absque summi Pontificis benedictione & auctoritate diutiùs in communi viuere, hærebat animi dubius, quid ageret, quò se verteret, cuius consilium auxiliúmve

78 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
liumve exposceret. Cum nullo enim Cardi-  
nalem intercedebat illi eo tempore tam  
arcta necessitudo, vt auderet eorum quem-  
quam ad Pontificem desiderij sui exponen-  
di gratia allegare: ideoque ad supremum re-  
rum omnium moderatorem, qui humilium  
non despicit preces, & pauperum exaudi-  
vota, se conuertit. Eum igitur quàm potius  
humillimis iuxta & ardentissimis votis de-  
precatus est, vti rem hanc pro solita sua be-  
nignitate dirigeret, viamque ei peragenda  
opportunam aperiret. Ita qui in alijs omni-  
bus negotijs præstò illi adfuerat, etiam in hoc  
non defuit. Nam cùm die quadã pertransiret  
Camillus Illustrissimi Ducis Muti palatium,  
templo Societatis I E S V vicinum, vbi tum  
erat bonæ memoriæ Cardinalis Mondouus,  
obseruauit, Deo ita volente, eundem Mon-  
douum ad portam vsque palatij comitatum  
ire alium quemdam Cardinalem, vti mos est  
sacri illius Collegij. In quo occursum visus est  
illi idem Cardinalis, esse senex admodum  
festiuus & excitatus, & qui huic expediendo  
negotio aptus foret. Itaque illum, quamuis  
nec aliàs sibi visum, nec aliter notum, cùm soli-  
ta in Deum fiducia improuisò adijt, salutauit,  
breuem sui instituti formulam obtulit, pre-  
catus est, vt tenue ac humile Congregatio-  
nis suæ principium adiuuaret, & verbo aliquo  
apud

apud Pontificem eius confirmationem commendaret. Placuit, ut affolet, ea hominis simplicitas Cardinali, petijtque, num aliquos Romæ haberet, qui ipsum nosset, & aliquam sibi eius notitiam dare possent. Respondit Camillus se habere, & aliquos ei nominavit nobiles Romanos, Virgilium Crescentium, & Patritium Patritij. Tum Cardinalis, *Illi*, inquit, *sufficiunt: tantum illi duo loquantur mihi, & de reliquo auxilium tibi à me non deerit.* Quod cum ab illis illustribus viris factum esset, & eadem opera Camilli probitas admirabili charitate coniuncta etiam in sermonem venisset, magna Cardinalem tenuit admiratio, hominem vnum idiotam & illitteratum tam excelso esse animo, ut initium daret operi tam utili, tamque infirmis necessario. Ea de causa cum multò in id ferretur studio, eiusque accelerationem maxime cordi haberet, intra paucos dies rem omnem Sixto V. summo Pontifici exposuit: qui valde lætus de tam bona eius instituti fama per Urbem dispersa, & in spem quoque ingressus maiorum ex illo fructuum deinceps colligendorum, id negotij sacre Congregationi Regularium commisit expediendum. Ibi quoque Dominus Mondouus præstò fuit. Denique licet Cardinalis à sancta Severina sancto zelo pulsus (quandoquidem credi aliter

VIII  
174



80 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
aliter non potest) ei nonnihil obfisteret, dice-  
retque, nihil noua Congregatione in Ecclesia  
opus esse; tamen re multum diuque confi-  
derata atque perpensa, conclusum determi-  
natumque est, bonam esse & admittendam.  
Docuerunt enim Patres illi, eam Congrega-  
tionem minimè esse superuacaneam, sed  
Apostolicam mereri confirmationem, pro-  
pterea quòd operibus esset addicta pietatis,  
cum nouo modo instituti ab alijs omnibus  
differente, præsertim tempore pestilentia: at-  
que idcirco dignam esse, quam sancta Seda  
amplecteretur & confirmaret. Quod cum  
Illustrissimus Cardinalis Sans, Congregatio-  
nis Regularium caput, ad Pontificem retulisset,  
is Breui Apostolico dato ad decimam  
octauam Martij, anno Christi millesimo  
quingentesimo octogesimo sexto, Pontifi-  
catus autem sui primo, dictam Camilli Con-  
gregationem approbavit & confirmavit. Fa-  
cultatem quoque eidem Camillo ac socijs  
concessit, sub vno simul contubernio viuendi,  
in paupertate, castitate, obedientiâ, & in-  
firmorum ministerio, etiam peste infecto-  
rum; non vi quidem alicuius voti seu simpli-  
cis, seu solemnis, sed ex solo voluntatis arbi-  
trio. Voluit etiam, vt à Congregatione vnus  
eligeretur Superior, qui Sacerdos esset, &  
trienni fungeretur potestate: deditque in su-  
per

per facultatem in vrbe Roma stipem conquirendi, & quædam alia (quæ studio breuitatis hîc transilio) benigne illis indulfit. Itaque Camillus, consentientibus omnium sociorum suffragijs, electus est Superior vigesima Aprilis eiusdem anni, cœpitque ab ea electione ad maiorem charitatis feruorem, & suiipsius despicientiam semetipsum accendere. Neque diu harum virtutum edere specimen distulit; sed mox, coniecta in humeros mantica, assumptoque vno socio Sacerdote, Rogerio Anglo, urbem Romam mendicabundus obijt: sed nihil aliud illa prima mendicatione domum ambo retulerunt, quam vnum panem integrum, & pauca paruaque frustula, sannarum verò & irrisionum ac conuitorum affatim: quippe pro vagabundis & erronibus habiti, & qui nihil aliud nisi tempus, sua per urbem obambulatione, disperderent. Porrò semper ex illo tempore suspexit Camillus Cardinalem Mondouum, nec solùm vt protectorem, sed etiam vt patrem & benefactorem tam ipse, quam tota Congregatio, eum coluit ac veneratus est.

F

CA.

## CAPVT XIX.

*Sixtus V. Pontifex altero Breui Aposto-  
lico ius concedit Congregationi, ferens  
insigne Crucis.*

**N**ON solùm Cardinalis Mondouus in illis nostri Ordinis initijs insignem erga Camillum amorem ac beneuolentiam exhibuit, sed alij quoque præclari & illustres viri, ac nominatim Illustrissimus Cardinalis Sans: qui cùm ad Pontificem referret, quid in sancta Congregatione actum esset, eadem opera institutum ad eò laudauit, commendauitque, ac Fundatoris probitatem charitatemque extulit, vt eius videndi & cognoscendi desiderium Pontifici iniecerit. Quod eùm idem Cardinalis per Dominum Cassanum Camillo indicasset, hic confestim ad Pontificem in Vaticanum conscendit: vbi post osculatos ex more pedes, cum verbis sancta simplicitate plenis, illum se esse Camillum, seruum inutilem dixit, quem Dominus Deus indignum assumpsisset ad danda illi Congregationi initia, quam Sanctitas sua nuperrimè confirmasset: prætereaque ad agendas ipsi gratias nunc venisse, atque ad eandem Congregationem ex hac die in om-

ne t  
men  
se il  
atqu  
au  
tot  
se ar  
resp  
duc  
suæ  
men  
lare  
nica  
cor  
dix  
om  
gest  
libe  
uir.  
ad  
tion  
cæ  
tuli  
& e  
per  
mâ  
sim  
foci  
Cru  
ne

ne tempus, sub alarum sanctæ Sedis velamento submittendam. Respondit Pontifex, se illum & videre & cognoscere perlibenter, atque in omni, quæ se offerret, occasione ipsi auxilium suum & fauorem non defuturum; totius item Congregationis protectionem ad se animo volenti ac perlibenti recipere. Qua responsionis benignitate fretus Camillus fiduciam accepit deprecandi, ut sibi & cunctis suæ Congregationis hominibus, ad discrimen inter ipsos & inter alios Clericos Regulares, liceret crucem ex panno fuluo, tam tunicæ talari, quàm pallio immittere. Benignè consensus Pontifex, & valdè æquum esse dixit, ut quemadmodum instituto ab alijs omnibus differrent, ita habitum quoque gestarent differentem. Vnde & aliquem sibi libellum supplicem super ea re exhiberi curauit. Quem ut accepit, eum idem Pontifex ad eandem sacram Regularium Congregationem considerandum misit. Ibi cum depictam in charta crucis formam Camillus obtulisset, fuit similiter eius postulatio peræqua & expediens iudicata, immò necessaria. Hinc per aliud Breue Apostolicum, datum vigesima sextâ Iunij, anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto, facultas Camillo & sociis concessa est Crucem gestandi. Quam Crucem triduo post, hoc est, die sanctis Apo-

84 VITÆ P. CAMILLI DE IELLIS  
stolis Petro & Paulo sacra, ipse Camillus ex  
deuotione erga eosdem Sanctos, ad dextrum  
tam tunicæ quàm pallij latus sibi imposuit,  
aliisque item omnibus qui tum in Congre-  
gatione erant, ferendam dedit. Ita igitur,  
quò faciliùs internosci possent (minimè eru-  
bescentes I E S V M Christum confiteri co-  
ram hominibus) iuerunt illa ipsa die octi  
ex ipsis, in diui Petri, ad quorum primum  
conspectum, incredibile dictu est, quanto  
populum inceserit admiratio: quoniam ta-  
les homines cruce signatos antehac Roma  
numquam viderant. Vnde varias varij fe-  
ciebant de nouis hominibus coniecturas.  
Multi existimabant esse Patres Societatis  
I E S V, qui nuperrimè ex India reuertissent  
aut certè à sancto Sepulchro redijissent. Po-  
stremò cum in diui Petri essent ingressi  
ibi Camillus non se ipse solummodò diu-  
næ maiestati & illis sanctis Apostolis, sed  
etiam totum paruulum gregem suum,  
quem Patri cælesti complacitum fuisset  
committere, in perpetuum obtulit, dedi-  
cauitque.

## CAPVT XX.

*Camilli in Ædem S. Magdalena vnà cum  
Congregatione commigratio: & duo-  
rum Fratrum mors, quorum alter alte-  
rum euocauit.*

Visa est Camillo domus ea, quam ad  
obscuras Officinas incolebat, Congre-  
gationi suæ vel eo nomine non conuenire,  
quòd illic nec Ædes sacra, nec Oratorium,  
ad sacrosancti Sacrificij oblationem, vllum  
esset: ita vt horum defectu foras quotidie  
eundum foret, tam Sacerdotibus ad facien-  
dum Sacrum, quàm Fratribus ad audien-  
dum. Ibant autem quotidie manè ad tem-  
plum Societatis IESV, vbi & Patre Octauia-  
no ad Confessionem æquè & ad Commu-  
nionem sacram utebantur. Ob hanc igitur  
egressionis incommoditatem, decreuit, eo re-  
lictò domicilio, aliud commodius alibi per-  
quirere, & potissimè vbi coniuncta esset  
Ædes sacra. Iam multa vrbis loca perlustra-  
uerat, iam in varia templa & sacella oculos  
animumque intenderat, cùm tandem sanctæ  
Magdalena Ædem pertransiens pridie ip-  
sius festi, in eam ob promerendas indulgen-  
tias introiuit: inter precandum autem ea

F 3                      sub-

86 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
subrepfit cogitatio, illam ipsam Ædem satis  
commodam & instituto suo opportunam  
videri. Itaque cum rem Domino diligenter  
commendasset, ita discessit, ut animus eam  
postulandi esset. Postulavit igitur, nec postu-  
latio incassum fuit. Erat eius templi domi-  
nium penes venerabilem Societatem à *Con-  
falone*: ab ea igitur certis quibusdam condi-  
tionibus illud obtinuit, adiuuante in primis  
domina Felice Colonna ipsi piè addicta, &  
parente Caroli de Maximis, qui tum vni-  
erat è dominis eiusdè Societatis Præsidentibus.  
Deinde populus Romanus trecetos aureos  
suppeditaui: quibus adiutus aliquas domos  
illi sacræ Ædi contiguas conduxit, eoquè sub  
initium Decembris anni millesimi quingen-  
tesimi octogesimi sexti, cum tota Congrega-  
tione immigrauit: cum essent numero haud  
plures quàm duodecim aut quindecim: in-  
ter quos erat P. Blasius Oppertis. Quæ do-  
mus per Dei gratiam mater fuit omnium  
aliarum huius Religionis. Ad quam cum  
iussit Camillus, pauldò post ei se coniunxit  
P. Franciscus Propheta, vnus è primis eius  
sociis. Ad eam Congregationem accessit  
etiam P. Paullus Cornetta Romanus, Theo-  
logus in paucis clarus, & in tribus linguis  
præcipuis, Hebraica, Græca, Latina egregie  
versatus; cui si longior vita suppetisset, nec  
parua

parum splendoris è scriptis suis Græcis, quæ reliquit imperfecta, Congregationi attulisset. Obtena porrò hac domo, non ampliùs misit Camillus Fratres suos foras, seu confessionis seu Communionis gratiâ, sed hæc omnia in templo suo peragi instituit; vbi duobus sedilibus poni iussis, cœptæ sunt audiri Confessiones à P. Francisco Propheta, & P. Paulo Cornetta. Non multo autem tempore quàm in nouas ædes immigrassent, Camillus inter alios admisit etiam duos iuuenes, in quorum obitu res occurrit minimè silentio prætereunda. Cùm enim breuè ad alteram vitam migraturus esset Frater quidam, Ludouicus Francus nomine, adolescens parua ætate, sed virtute haud mediocri, ecce dum in extremo agone versatur, sublatris subitò in cælum oculis, tamquam visum aliquod cernens, exclamare cœpit: *Sancte Andrea, sancte Andrea, quis mecum veniet? eritne fortè Frater Iacobus?* Tum autem Iacobus Martinellus (qui præsens aderat, & Præfecti infirmorum officio fungebatur) *Quis est, inquit, ille Iacobus? Sumne ego fortassis?* cui respondit Ludouicus: *Ipse es: quapropter sis paratus. nam & intra paucos dies in eodem loco erimus.* & hoc dicto expirauit. Postquam verò sepultum est corpus, & iusta ex more persoluta, idem Iacobus multis ver-



88 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
bis ea de re cum P. Paulo Cornetta Confessario suo est collocutus. Is autem sciens Iacobum crebrò legere solitum S. Gregorii Magni Dialogos, ita respondit: *Mi Frater optimè nosti, quot eiusmodi exempla referantur in libro Dialogorum, quem sæpè legisti. Quamobrem benefeceris, si ad mortem accideris, quandoquidem socius tuus Ludouicus iam te vocauerit.* Tum Iacobus, *Semper inquit, fiat voluntas Dei.* Tam integra autem tunc erat valetudine, vt diceret, meliorem in statu sanitatem sibi numquam fuisse. Verùm, ô diuinorum arcanorum abyssi! nec dimidiata transit hebdomada, quin Iacobus in morbum inciderit, & intra paucos dies vitâ functus ad Dominum quoque transierit. Nec vllatenus dubitari potest, quin per hæc mirabilia declarare Deus Opt. Max. voluerit, quàm sibi gratum sit, aliquam animam ad suum trahere seruitium; id quod Ludouicus Iacobo fecerat, quem modo quodam extraordinario ad Congregationem pertraxerat. Cùm enim isti duo adulescentes in sæculo amicitia ac sodalitate coniuncti essent, Ludouicus Congregationem nostram ingressus est, Iacobus foris remansit. Hic, quòd sibi in patriam remeant cunèta essent subrepta, nihilque superesse fortunarum, herum quærebat in cuius esse famu

famulatu. Cui cum Ludouicus in vrbe Roma semel occurrisset, interrogauit: *Qui habes? rectene apud te sunt omnia?* Respondit ille, nonnihil se tristem esse, quod herum non inueniret. tum illi Ludouicus: *An per te licet, vt tibi herum inueniam?* dixit licere. Mox ergo Ludouicus iniecta manu, *Eamus,* inquit, *ego tibi inueniam,* & recta domum nostram ad Camillum deducit, precaturque per Dei amorem, vt velit hunc socium suum in Congregationem admittere. Deinde ad Iacobum conuersus, *Ecce,* inquit, *frater, ego tibi Iesum Christum pro Hero & Domino inueni: tunc illo es contentus?* Ille contentum se dixit: admissus est: & ambo exitum, quem iam dixi, habuerunt, veri ac germani sodales, tam in morte quam in vita, atque etiamnum ( prout pie licet credere & sperare ) in sancta gloria.

## CAPVT XXI.

*Camillus Neapolim ad fundandam inibi Congregationem proficiscitur: & quod ibidem in principio fecerit operapretium.*

**D**OCTOR Mira Hispanus (qui postea fuit Episcopus Stabienfis) Romę cum esset,  
F 5                      prope

propè quotidie ad nostrum S. Magdalene templum accedebat facturus Sacrum ; & quòd erga pauperes animum gereret pietatis ac misericordiæ plenum , arctam cum Camillo amicitiam contraxerat. Is deinde profectus Neapolim , sermonem cum P. Alexandro Burla de hac noua Congregatione miscuit, suafitque, vt illam in ea ciuitate fundaret, asseuerando perutilem eam fore, cunctisque pauperibus infirmis, & animam agentibus maximum allaturam in tam periculoso articulo subsidium: quibus permotus Alexander (quippe vir erat eximia charitate, atque ad omnia pietatis opera mirè propensus) tam ardentem eam rem cum Camillo pertractauit, missis etiam Romam ad ipsum pro viatico quinquaginta aureis ; vt de fundatione inter ipsos conclusum sit. Illuc igitur Camillus cum duodecim sociis (inter quos fuit P. Blasius Oppertis, noui domicilij Superior designatus) iter suscepit. Neapolim autem appulerunt vigesimâ octauâ Octobris, anno millesimo quingentesimo octogesimo octauo, die sanctorum Simonis & Iudæ Apostolorum, habitaruntque in domo conductitia, quam idem Alexander pecunia suâ illis procurauit, & omni necessaria suppellectile instruxit. Operæpretium autem, quod in illis primordiis ibi fecit Congregatio,

rio, illi soli narrare possunt, qui magnas miserias, in quibus tum iacebat eius ciuitatis Nosocomium Incurabilem, oculis suis conspexerunt. Quod ipsum statim atque à Camillo & Fratribus nostris frequentari cœpir, mox etiam, Dei opitulante gratia, non modò ab honoratioribus ciuibus eiusdem ciuitatis similiter adiri cœptum est, verùm etiam certatim & sancta cum æmulatione, ab omnibus ferme nobilibus, & dominis tutelaribus eius regni, in diuersas sodalitates diuisis (res sanè magna laude digna, & quam tota nobilitas Christiana imitari debeat) non dedignantibus illis dominis, ad S. Ludouici Regis Franciæ exemplum, pauperibus infirmis inferuire, cibũ porrigere, aquam in manus fundere, lectos sternere, linguas purgare, plagas obligare, ac denique, ad extremum Tobiaz officium sese demittendo, mortuos sepelire. Quin ego ipse non absque magna confusione mea sæpius obseruaui, eorum complures edulia præbere quibusdam infirmis adedò putentibus, & tanta plagarum sanie scatentibus, vt totum me stupor inuaderet, quoniam pacto fieri posset, vt homines tam molli-ter educati, tam delicatè enutriti, habere stomachum tam firmum possent, vt non dicam tangere, sed vel præstò adesse, aut tantisper apud eos manere possent. Atque, vt  
 summa-

summatim complectar, ea in publicis valetu-  
 dinariis opera & tam heroica facta incredi-  
 bili pietate coniuncta patrant, vt nemo sibi  
 temperare possit, quin illa in despectū mun-  
 danæ superbix laudet atque extollat. Vt ve-  
 rò ad feminas quoque & matronas nobiles  
 transeamus, multæ ex Illustrissimis familiis  
 sese ad feminarum seruitia materno affe-  
 ctu in iisdem valetudinariis applicant, immò  
 verò vulnera & vlcera & plagas quanticum-  
 que fœtoris & stomachi sic attrectant, sic  
 omne genus charitatis atque extremæ de-  
 missionis exercent, vt si tot illustres feminae  
 ab ipsis infirmis in mancipia emptæ essent,  
 non plus reuerà exigi ab iis debiti seruitij pos-  
 set. Tot tibi cōspicere Fabiolas & Eustochias  
 sancto Hieronymo celebratas viderere: vnam  
 ab ingenti erga Nosocomij pauperes charita-  
 te, alterā aduersus charam matrem Paullam  
 morientem & in lecto anhelantem admira-  
 bili pietate. Nam nobiles istæ Neapolitanæ,  
 quadam istarum Romanarum matronarum  
 sanctitate præstantium imitatione, non ab-  
 horrentes putorem, non declinantes plaga-  
 rum tabem, vermiumque fœditatem, proxima-  
 mē infirmas accedunt, solatium adhibent,  
 esculenta & poculenta in os inferunt, mem-  
 bra calefaciunt, ventum flabello concient,  
 lectos reparant, capillos religant, blanditiis  
 demul-

demulcent; vnoque verbo, nullum genus charitatis, quamlibet difficile, quamuis fastidio & nausea plenum (tantus est animorum feruor) intentatum prætermittunt. Non memoro supellectilem in eodem Nosocomio vel auctam, vel meliorem factam, seu cortinas spectes, seu lintea, seu culcitræ, seu indusia, seu stragula, seu quæcumque alia lineæ infirmis necessaria; quibus iidem Nobiles in perpetuum conseruandis & reparandis census annuos attribuerunt. Id verò minimè silentio prætermittendum est, quòd à propriis ciuium ac nobilium domibus, qui vices suas in dies diuiserunt, cibi infirmis subministrantur, quantâ maximâ diligentiam præparati. Istius porrò tam feruentis charitatis incendium (quod ego perstrinxi potius, quàm plenè perfectèque commemoravi) à Deo primùm, deinde à Congregatione nostra dici potest habere principium: non quòd nostri dictarum Societatum auctores fuerint (quamuis hic sanè antiquus Camilli spiritus & intentio extiterit) sed quòd ad eas faciendas stimulo fuerint, bonis exemplis incitando, & viam præeundo, ad Nosocomia quotidie, manè & vesperi visitanda. Id autem totum diuinæ Maiestati acceptum referendum est, cui complacuit, seruum suum Camillum eligere ad offerenda tantis pauperum & infirmo-

LIII  
174

94 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
firmorum necessitatibus tam expedita re-  
media. Iam ad tempus extremi certaminis  
atque mortis quod attinet, hîc quoque no-  
stra Congregatio ita ciuitatem illam exsuscitauit,  
vt bono eius exemplo & sancta qua-  
dam æmulatione commoti, non modò alio-  
rum Religiosorum permulti, sed ipsi etiam  
Pastores apud suos subditos moribundos no-  
ctes totas excubarent: vt videatur ea tempe-  
state nostra Congregatio omnibus aliis ad  
eiusmodi officia charitatis quoddam velut  
excitatorium extitisse. Quòd si de prompti-  
tudine hominibus pestiferis atq; aliis conta-  
gioso quolibet morbo laborantibus inter-  
uendi, quam ad hoc vsque tempus nostra  
Congregatio tenuit, sermo faciendus est  
vnicum dumtaxat factum, tamquam ex-  
mimium, in præsentî commemorabo: quod &  
nostros maiorem in modum (vbi se similis  
obtulerit occasio) ad idem repræsentandum  
queat accendere. Appulerant Neapolim et  
Hispania triremes multæ Hispanis pedibus  
onustæ, sed contagioso morbo sic infectis  
vt metuens cladem aliquam ciuitas noluerit  
eos admittere, sed mandauerit quadragin-  
ta dierum moram Puteolis in Baiano portu  
facere. & quia plurimi eorum, omnis expecte-  
tes auxiliij tam corporis quàm animæ, passim  
extinguebantur, Prorex nostros est de

prece

precatus, vt tantis dignarentur mortalium indignè pereuntium miseris succurrere. Quo sine tergiuersatione concesso, statim quinque illuc amandati sunt: qui oppidum ingressi, ad Nosocomium Annuntiatae appellatum se contulerunt. Ibi præcipuus erat militum ægrotantium numerus: ad quos iuandos & curandos in hunc modum aggressi sunt. Postquam infirmi è triremibus ad Nosocomium deportati essent, nostrorum vnus cum magna amoris ac beneuolentiæ significatione eos recipiebat, capillos tondebat, vngues refecabat. Inculti enim & horridi & illuue ac sordibus pleni plerique omnes erant. Alius illos exuebat, & putentes pannos, qui foetorem morte peiorem exhalabant, detrahebat. Tertius nuda eorum corpora refocillans, à capite ad imos pedes in calidarum & odoriferarum aquarum balneo prolebat. Alius deinde iam munda, iam nitida corpora extergebat, ac postremus denique in lectum inferebat. Erant porrò iidem milites adeò debiles & fame confecti, vt ipsorum non pauci cibus in ore hærentibus morti succumberent. Nec illos vlla adiuuabat medicina, cum sic afflictis essent ex irinetis molestiis, vt loco medicinæ egerendæ, animam exhalarent. Nostri autem supra continuos diurnos labores, etiam noctu

in



96 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
in vigiliis stabant, non modò apud eos  
ad mortem vergebant, sed etiam apud eos  
qui iam mortui erant, ne lupi scilicet, aliaque  
carniuora animalia in campis eos deuorarent.  
Finitis autem huius Nosocomij laboribus, in  
quietis vicem ad aliud se conferebant ad  
sancti Iacobi Nosocomium, quod intra ve-  
tus quoddam palatium, amphitheatro Ve-  
spasiani imminens, struebatur. Dicebant au-  
tem cor sibi intra pectus disrumpi, cum tam-  
tam pauperum militum humi prostratorum  
stragem oculis cernerent, qui promiscuè vi-  
cum feminis in terram proiecti iacebant. Ad  
extremum, cunctis ferè militibus morte oc-  
cupatis, cœpit & in nostros grassari morbus  
vnde Neapolim ducti valetudinis recuperan-  
dæ gratiâ, non ita potuere salui euadere,  
quin mors duos vindicaret, sed eos melior  
vita dignos. Ij fuerunt Ioannes Baptista Bo-  
trico Neapolitanus, & Seraphinus Lucanus,  
qui duo Fratres primitiæ fuerunt, quas nostra  
Congregatio diuinæ Maiestati obtulit et  
iis omnibus, qui in posterum per hoc nouum  
mortis genus, vitam suam pro Fratrum Chri-  
stianorum salute sunt immolaturi. Erant am-  
bo tantæ charitatis, vt Ioannes Baptista iam  
morti vicinus, & vi pestiferæ febris, quæ ca-  
put inuaserat, à sensibus alienatus, nihil  
aliud nisi de infirmis verba funderet, & lin-

gua partim Hispanica, partim Italica, dictos milites ad animæ curam sollicitaret. Qua in phrenesi vitam hanc reliquit, & meliorem inuenit. Seraphinus quoque super iisdem rebus alienata mente sermones iaciens, tantum dicebat: *Adiuua, adiuua hunc pauperem, ne decidat.* Denique bona exempla, quæ in illo Congregationis initio data sunt à nostris Neapoli, complures permouerunt, vt de illa suis sumptibus adiuuanda ac promouenda cogitarent. Hinc perillustris Domina Roberta Carafa Dux Mataluni, & Domina Constantia à Carettis, & Domina Iulia à Castellis, largitæ sunt Congregationi nostræ ad quindecim millia aureorum pro prima coëmptione illius domicilij, in quo iam nostri degunt, Sanctæ Mariæ Portæ cæli. Sed præ omnibus Domina Iulia à Castellis, femina excellenti pietate & charitate, eo semper studio ac fauore Congregationem nostram profecuta est, vt ob continua grandium summarum subsidia, meritò dici possit & haberi vera mater & fundatrix huius domicilij, quod in dicta ciuitate Neapoli possidemus.

## CAPVT XXII.

*Camillus diuinam punitionem intermit-  
tur Nouitio ad saculum reuertenti: qua  
subsecuta est.*

**A**B ipsis primordiis fundatæ Neapoli  
Congregationis, multi iuuenes, bonæ  
virtutum eius odore pellecti, cœperunt Ordi-  
nis nostri habitum ambire & poscere: ita  
vnius diei matutino tempore duodecim ad-  
miserit Camillus, secumque vnâ Romanam  
abduxerit, & tertia Martij, anno millesimo  
quingentesimo octogesimo nono, Religiosum  
illos habitu ibidem donauerit. Quorum  
vnus ego ipse fui, quamuis indignus, qui  
hanc postea eiusdem Camilli Vitam scripsi.  
Sed quia inter supradictos fuit etiam iuuenis  
vnus, Franciscus nomine, cui infortunium  
accidit memoratu dignum, non arbitror il-  
lud mihi silentio prætereundum; quippe  
exemplo & terrori aliis Nouitiis futurum.  
Fuit is admissus Neapoli, & Romæ à Ca-  
millo vestitus, vt iam indicatum est; sed tam-  
inuito & reluctante patre, vt is præ dolo-  
moriturus crederetur. Qui licet primo die  
quo iste Nouitius cum Camillo Neapoli  
discessit, post eum commutatis equis Calce-  
num

num vsque cucurrerit, nec quidquam tum effecerit, tamen Romam denique ad obtinendum & peruincendum, quod tantoperè desiderabat, cùm aduenisset, ibique cum filio seorsum collocutus esset, tandem talibus eum dictis & promissis adortus est, vt vicerit, atque ad sæculum reduxerit. Promiserat autem nominatim se illi Neapolim reuerso daturum in coniugem quamdam adolescentulam longè pulcherrimam, cuius insano amore sciebat illum antehac captum esse. Ob hanc promissionem adit Nouitius Camillum, & vestes primas repetit: ille tanta obstupefactus leuitate, nihil non agit & molitur, vt tironem suum in pristino firmet proposito, nec post gustatam Dei sapientiã redire sinat ad vomitum. Tandem cùm ne hilum quidem proficeret, & ille semper magis magisque peruersum obfirmaret animum, statuit illi abscessum permittere. Sed quid? Antequam suas illi vestes restitui iubeat, volens saltem incussis minis eum abstertere, cùm aliquamdiu oculos in ipsius vultum defixisset, (perinde quasi in eius fronte legisset quanta illi aliquãdo euentura essent) dicit ei, multis nostrorum præsentibus: *Age frater, quandoquidem iam tibi certum est redire ad sæculum, nec vllum beneficiorum Dei, qui te ab eo liberauit, respectum habes, volo intelligas*

100 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
te ad seculum redeundo malum finem consecu-  
turum, & iustitia manu moriturum. Ac me-  
mento sis diei huius, quo tibi hæc prædixi. Quo-  
bus dictis eum dimisit, atque ad patrem ibi  
quoque præsentem conuersus, haud bene ip-  
si fore, nec voluptatem ex eo filio habitu-  
rum indicauit. Hæc dicebat vltimâ Martij,  
ipso die sancto Parasceues, anno millesimo  
quingentesimo octogesimo nono. Res ve-  
rò stupenda! Reuersus Franciscus Neapo-  
lim, & Doctor Iuris creatus, & magno patri-  
gaudio adolescentulam illam adeptus, ali-  
quanto tempore in pace & concordia con-  
iugali vixit: post autem, Deo ita permitten-  
te, in dissidium amore verso, ex aliqua for-  
tassis vana suspicione, vt interdum solet, il-  
lam licet vterum gerentem interemit: nec eo  
parricidio contentus, ancillam quoque, &  
ipsam tunc grauidam obruncauit, & vnum  
item famulum domus, quos ambos suæ su-  
spicionis conscios atque internuntios arbi-  
trabatur: cum & aliquantò priùs eadem de  
caussa vnâ alteram vetulam mactauisset,  
atque sub quoddam domus fundamentum  
abiecisset, terraque obruisset. Pro tot homici-  
diis posteaquam mœrore confectus pater,  
omnes ferè suas opes pro seruanda filio vita  
consumpsisset, tandem vltimâ Martij, an-  
no M.D.XCVII. die Lunæ Hebdomadis sanctæ  
in

in foro Neapolitano caput filio amputatur. Cum illo vnus è famulis, quòd eorundem delictorù adiutor ac socius extitisset, in furcam actus est. Ita veritas illarum terribilium ac formidandarum Camilli minarum euidenter innouit: quam ipsemet Franciscus in carcere Regio condemnatus, compluribus nostrorum, qui illum ibant consolatum, multis cum lacrymis confessus est. Dicebat enim se eò loci & miseriarù deductum, quòd Congregationis habitum reliquisset. Ex quo etiam die in consequens tempus aiebat se velut sculpta ob oculos portasse Camilli verba & minas, nec illum diè quo discesserat, vquam è memoria dimisisse: precabaturque impensè, vt ipsum precibus suis adiuuarent, maximè in illo vltimo & perquam formidando tempore, quo esset toti Neapolitanæ ciuitati spectaculum sui præbiturus. Cœpit ex eo euentu totam Congregationem ingens stupor, eosque speciatim qui Romæ tum præsentibus erant, cum Camillus cælesti radio illustratus sic eum fuerat allocutus. Atque hoc tantò magis creabat stuporem, quòd hæc vltimâ Martij, & Hebdomade sancta euenerant, qua die illi à Camillo prædicta, & cum minis denuntiata fuerant.

## CAPVT XXIII.

*Cardinalis Paleottus & Cardinalis Mondouus tractant nunc primùm cum Camillo, & cum Sede Apostolica, de erigenda Congregatione in Religionem.*

**N**Ecdum tres anni à confirmatione Congregationis nostræ transferant, cum sub eodem Pontificatu Sixti V. qui confirmauerat, cœptum est agi de ea erigenda in Ordinem Religiosum. Cuius tractationis inde nata est occasio, quòd quidam nostris, aliquoties ad quosdam Nobiles à Paleotti Cardinalis aula moribundos aduocati, vt ipsis, ad bonum ac salutarem vitæ exitum monendo, hortando, consolando, subuenirent; ita eidem Cardinali, qui suis omnibus semper in extremo illo certamine aderat, suam probarant operam, vt Congregationem hanc saluti multarum animarum, præsertim in vltimo & tanti momenti conflictu, perquam vtilem atque accommodam iudicaret. Vnde multis verbis & argumentis cum Camillo egit, vt Bononiam (quæ eiusdem Cardinalis patria, & Archiepiscopatus erat) aliquos è suis ad fundandam inibi domum mitteret, cui promouendę opem quoque  
& fa

& fauorem omnem promisit. Sed respondit Camillus, in illo tempore & rerum statu, propter Sacerdotum in Congregatione penuriam, qui tamen ad talem fundationem necessarij essent, fieri id minimè posse; nam pluribus ad Sacerdotium ex defectu patrimonij viam non patere. Cui subiunxit Cardinalis, non minimum hunc esse defectum, sed longè maximum, qui ita impeditam teneret Congregationem: proinde cum Cardinale Mondouo, eius Protectore, de remedio quod afferri possit, se communicaturum. Qui postea inter se collocuti, tandem vnanimiter concluderunt, nullam aliam opportuniorè videri patere ad Sacerdotium viam, quàm si Congregatio in Religionem erigeretur. Ex quo tempore, hoc est, à medio circiter Iulio anni millesimi quingentesimi octogesimali noni cœpit hoc negotium proponi in curia Romana considerandum. Tantò autem ardentius iidem Domini Cardinales in illud ferebantur, quòd per absentiam Camilli (qui, vrgente Paleotto, ac prorsus ita volente, Bononiam vnà cum Curtio & aliis duobus sociis, domus statuendæ causâ, concesserat) nihil rerum ob penuriam Sacerdotum Romæ gerebatur. Inde autem reuersus Romam mense Octobri eiusdem anni, post multas cum viris doctis & sapientibus con-



104 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
sultationes, tandem vnâ cum Patribus Blasio  
Oppertis & Francisco Propheta vnâ vitæ  
formulam concepit, in qua tam gubernandi  
modus, quàm instituti ratio & substantia  
continebatur. Eam in charta descriptam Ca-  
millus Cardinali Mondouo, Cardinalis Siro-  
to V. Pontifici obtulit, vt auctoritate Apo-  
stolica confirmaret. Pontifex autem huius  
promouendi instituti satis sua sponte cupi-  
dus, eandem formulam Congregationi Sa-  
crorum rituum commisit; cui Congrega-  
tioni intererant Cardinales, Gesoaldus  
Mondouus, Paleottus, Columna, Borro-  
mæus, & Sfondratus. In progressu porro ex-  
aminis variæ multorum virorum vrbis Romæ  
illustrium opiniones palàm factæ sunt. Qui-  
dam enim ambigebant, expediretne istam  
Professionem concedere, assererebantque il-  
lud institutum esse totum fundatum in ex-  
ternis circa proximum occupationibus, ac  
proinde non posse multo tempore consistere,  
nec ab hominibus dissolutis ac refractariis  
factum tectum diu conseruari, dum quorundam  
operariis vteretur voto obligatis. Quorundam  
videri sibi melius fore, si via aperta relinqueretur,  
per quam foràs amandari possent, quorum  
vita certo tempore probata non commodare  
instituto reperiretur. Arque huius opinionis  
fuere inter alios B. Philippus Ne-

Nerius, P. Franciscus Toletus, Palatij Pontificij illo tempore Theologus, qui postea fuit Cardinalis, & Cardinalis Aldobrandinus, qui postea fuit summus Pontifex. Alij quidam è contrario, fatius esse indicabant omnes voto obligari, ne detur, inquebant, occasio bonis abscedendi: Professionem insuper non solum ob instituti perpetuitatem, verum etiam propter eximios fructus, qui tam pestilentia quam sanitatis tempore sperari possint, esse necessariam. Concludebant porro ex eo, quod hoc institutum humanis sensibus maxime repugnaret (quippe cuius sit proprium in locis infectis & male sanis continuè versari) durare diu firmum non posse, si liberum & omni solutum vinculo linqueretur, praesertim in calamitatibus pestilentiae, quibus multi reperirentur, qui cum tanto vitae suae periculo ista charitatis officia exercere (si quidem liberi essent) respicerent: at verò sanctis suis votis obligati in omne tempus ad eiusmodi munia sese confirmatum & corroboratum irent. Ex quo etiam consequeretur, ut magna fieret operariorum ad Congregationem, & praecipue Sacerdotum accessio, cum scilicet animaduernerent voto paupertatis pandi sibi ostium ad Sacerdotium: deinde verò cum intelligerent se voto solemni Deo dedicatos,

106 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
procul dubiò longè liberiùs ac liberaliùs in  
omne mortis periculum pro Dei amore &  
salute animarum se deuoturos. Ad illud ve-  
rò quod afferebatur de dissolutis ac refracta-  
riis, respondebant, numquam aduersus eam  
pestem defutura summo Pontifici remedia  
cui semper liceret purgationem in futurum  
(vti tum expediens videretur) permittere:  
sed nunc omnino necessarium esse, professio-  
nem, tamquam totius ædificij basim ac fun-  
damentum, concedere. In hanc iuere sen-  
tentiam inter alios, cùm ipse in primis Ca-  
millus, tum Cardinales Paleottus, Mondo-  
uus & Sfondratus, qui deinde fuit Pontifex,  
& Professionem confirmauit. Hæ ergo &  
similes rationes in tantum præualuerunt, vt  
in dicta sacrorum Rituum Congregatione  
tandem determinatum sit, concedendam  
esse Professionem. Verùm interea tempo-  
ris, quo Cardinalis Gesoaldus diem expe-  
ctat referendi ad Pontificem, ecce ipse Pon-  
tifex (ita placitum Deo fuit) ad vigesimam  
septimam Augusti, anno millesimo quin-  
gentesimo nonagesimo vitâ excedit. Vn-  
de Camillus non mediocrem percepit do-  
lorem, amisso nimirum tam bono & san-  
cto & erga suam Congregationem tam pro-  
penso Pontifice, vt non dubitaret, eum,  
quemadmodum antè in Congregationem  
ere-

erexerat, ita nunc quoque, postquam ita determinatum ac statutum fuisset, in Religionem esse erecturum.

## CAPVT XXIII.

*Camillus opitulatur infirmis S. MARIAE DE ANGELIS ad Thermas.*

**P**Aullò ante Sixti Quinti Pontificis mortem, dum de Professione in vtramque partem, vt iam dictum est, disceptaretur, commodum Camillo tempus oblatum est, quo suam erga pauperes infirmos ardentem charitatem in publicum depromeret. Nam Romæ in monte Quirinali tam maligna grassari febris cœpit, tamque pertinaciter inhaerere infirmis, vt vix vlli, quem semel attigisset, mortis effugio locum relinqueret. Sed illos speciatim holoserici villosi textores inuasit, quos Sixtus Quintus sanctæ memoriæ ad introducendam serici artem Romam acciuerat: & quibus totam illam habitationis partem (quæ ipsius vineæ contigua erat, & Templo S. Mariæ de Angelis ad Thermas proxima) incolendam attribuerat. Illorum igitur maiorem partem, non curato nec artis nec laboris fructu, mors importuna demersit. Res sanè erat maximè digna miserationis, videre tantum populum tam miserè  
com-

commoti: nempe multis in ædibus in vno eodemque lecto intueri erat iacētes promiscue patrem, matrem, liberos, ita vt quos morbus non perimeret, enecaret fames: propterea nimirum quod nullus inter illos sanus esset, qui valetudinis ceterorum curam gereret. Hanc miseriam cum nostri, qui in ea loca infirmis succursum, & morientium animas Deo præparatum ibant, Camillo renuntiaffent, ipse eorum sortem miseratus, & quorundam Dominorum Cardinalium stipe adiutus, nimirum Gesoaldi & Paleotti & Saluiati, a sellum vnum comportandis in eum montem edulij comparauit: deinde iussis domi nostræ præparari omnibus ad leuandam ægrotorum penuriam necessariis, bina quotidie onera iisdem pauperibus mittere aggressus est: atque ipsemet non rarò cum alijs quatuor socijs manè & vespere ad eos cibandos curandosque itabat. Quò cum peruenissent, incipientes à Quatuor fontibus, ibant ostium distribuentes ea quæ attulerant, panem, vinum, aquam decoctam, diuersi generis iuscula, oua, carnes, gallinas, pulmenta hordeacea, amygdala, vvas passas, dulciaria, & alia quælibet necessaria, suis manibus escas iuxta Medicorum præscriptum grauius laborantibus porrigentes. Quarum rerum, vti & omnis generis pharmacorum copiam, idem Camillus iube-

iubebat prouideri. Post curata verò & pasta corpora, ad sternendos aut reparandos lectos se conuertebat, ad lauandas patinas, ad ædes verrendas. Quin & pannos suscipiebant, & curabant mundandos, immò & ipsos ægros vestiebant, & pusillos eorum liberos fasciis inuoluebant, quorum vagitus & pallor è quamlibet duro pectore fletum elicerent, tum præsertim cum, volentibus nostris illos à matrum suarum mamillis (ne ipsarum lacte aut halitu inficerentur) auellere, altissimi atque innocentissimi eorum eiulatus in cælos tollerentur. Denique Camillus tanto illis auxilio ea in calamitate fuit, vt cum illum postea conspicerent, sibi viderentur Angelum videre de cælo missum ad ipsorum salutem atque perfugium. Et certè iustissimam id opinandi ansam habebant: quandoquidem eorum amore nulli vniquam labori pepercisset. Nam iuit ipsemet sæpiùs, licet pedibus, vti ex longo tempore erat, vlcerosis, & diebus quidem (quales sol in Leone efficit) calidissimis, ad pharmacopolas remediorum sumendorum gratiâ. Quod tanta faciebat charitate & sollicitudine, adeoque anxietate, vt sibi imperare numquam posset, vt in via, quamlibet grauibus personis colloqui volentibus, tantisper consisteret. Sic contigit, vt cum ad quoddam medicamentum pro aliquo

VIII

174

II<sup>o</sup> VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
quo infirmo accipiendum se contulisset, et  
reditu cuidam sanctæ Ecclesiæ Cardinali oc-  
curreret: cui sciscitanti quonam modo infir-  
mi se haberent, ille qui festinanter transibat  
*Paullo*, inquit, *melius*: sed illo cupiente eum  
diutiùs amplioris cognitionis gratiâ demor-  
rari, ipse ex sancta simplicitate & rusticitate  
se excusans dixit: *Illustrissime Domine, prece-  
per amore Dei, ne me diutiùs affando deti-  
neas. Nam tempus applicandi remedij, quod  
vni illorum porto, interim præteruolat*: & le-  
uato simul pallio ollam ostendit, & dicto  
tius viam capessit. Nec ægrè tulit prudenti-  
simus Cardinalis, sed potiùs vim charitatis  
admiratus obstupuit. Aliàs item frequen-  
ter ad eosdem infirmos deferret cibaria.  
Illustrissimo Cardinali Sfondrato in via oc-  
currit: qui sic illius operæ bono exemplo ca-  
piebatur, vt sæpiùs rheda inibi hære in-  
pro voluptate duceret eius spectare eleëm-  
osynæ distributionem. Quare sic illa præclaræ  
charitatis exempla ei placuerunt, vt ad Pon-  
tificiam dignitatem haud multò post eue-  
ctus, & Gregorius XIII. appellatus, nulli  
difficultate Professionem Camillo conce-  
derit, & Congregationem in Religionem ere-  
xerit. Quin & erectam non modò multa  
priuilegijs locupletauit, verùm etiam magna  
eleëmofynarum copia subleuauit. Quippe  
quæ

quàm primùm Pontifex creatus est, statim septingentos aureos domum misit, & quamdiu superstes viueret, alios quinquagenos in menses singulos assignauit.

## CAPVT XXV.

*Camillus multos pauperes tota vrbe Roma dispersos in magna annonæ charitate victu vestituque adiuuat.*

P Osteaquam grauis illa ad Thermas morborum contagio finem accepit, insecuta est mors Sixti, & mors Urbani Septimi eius successoris: & hic quidem vno eodemque mense Pontificatu functus & defunctus est. Nam in Pontificem assumptus est decimo quinto Septembris anni millesimi quingentesimi nonagesimi, & eiusdem mensis vigesimo septimo defunctus est. Tum Cardinalis Sfondratus quinto Decembris eiusdem anni Pontificatum auspicatò cepit, & Gregorius XIII. est appellatus. In cuius Pontificatu cœpit tanta illa annonæ charitas, & Romæ mortalium clades, vt nulla nostris temporibus visa sit maior: siquidem partim fame partim frigore mortui sunt Romæ, & in agro Romano, minimùm sexaginta hominum millia. Res sanè auditu horrenda, sed visu



112 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
visu multò magis luctuosa videre per ipsas  
urbis vias homines sub officinarum & ma-  
cellorum mensis fame morientes, cum pau-  
peres præ ingenti esurie ad canes & feles de-  
uorandos adacti essent: id quod nostri non  
absque maximo suo dolore sæpenumerò ad-  
uerterunt. In qua summa miseria quamvis  
Gregorius Pontifex in eorum subsidium  
omne genus boni ac salutaris remedij excogitasset, & manu largissima profudisset, nihilominus commouebantur pia Camilli viscera, & commiseratione nimia exedebantur præsertim cum per noctem pauperum vebem obeuntium, & frustum panis exposciturum miseros audiret eiulatus. Qua de causa nostris mandauit, vt quotidie prægrandem lebetem iuscule plenum, vel ex farre, vel ex oriza, vel ex fabis, vel ex pane cocto domo præpararent: tum verò in S. Magdalene aream quàm poterat plurimos è pauperibus congregabat: deinde iussis prius elata voce recitare *Pater noster* & *Aue Maria*, singulis per ordinem aliquam eius, quod paratum erat, portionem distribuebat: ac præter iuscule, etiam vnicuique panis particulam, & vini craterem, siue quantum illis sufficere existimabat, vt illo die fame non perirent. Et accidit nonnumquam, vt confluentium numerus ad quadringentos accederet. Post illam

illam autem corporum refectionem submittebat ordinariè Camillus, & alterum spirituales animarum partem, nempe breuem quamdam exhortationem, ad peccatorum horrorem ipsis incutiendum; cum peccata omnium malorum & plagarum, quæ cælitus à Deo infligerentur, fontem & occasionem & causam esse diceret. Dum autem illos dimitteret, semper aliquos domi iubebat retineri ex ijs, quos magis afflictos atque confectos videbat, partim vt eorum confessiones exciperentur, partim vt tonderentur, lauerentur, vestes refarcirentur. Quibus & nonnulla indusia, & alia quædam vetera vestimenta in vestiario reperta condonabat. Postquam verò animaduertit, nec illa quæ diximus adiumenta ad vitam miseram sustentandam sufficere (multi enim in illa hiemis asperitate, quæ in annum Christi millesimum quingentesimum nonagesimum primum incidit longè acerbissima, passim frigore enecabantur) confusus idem Camillus in Dei bonitate, & in multa populi Romani erga egenos charitate (qui maiorum suorum in tali tempore magnanimitatem imitatus, non exiguam illi pecuniæ summam suppeditauit) magnam copiam panni, telæ, calceamentorum, galerorum, expensis in ea aliquot centenis aureis, coëmit, confectis exinde centenis,

H tonibus,

tonibus, indufijs, caligis, tibialibus, cuncta  
 pauperes maiori pressos egestate diuisit, quo-  
 rum ipsemet multos sua manu induit, calce-  
 uitque. Cùm autem interdum, vt fit, eueni-  
 set, vt horum quidam ijs venditis, aut ludo  
 perditis, ipsi occurrerent, eumque, ne ipsos  
 ludos spoliatosque conspiceret, deuitarent,  
 ipse contra velut eorum Pater amantissime  
 tamdiu eos ponè sequebatur, donec tandem  
 affecutus domum duceret, ac denuò indre-  
 ret, nec sciens nec valens illis succensere. In-  
 nimirum eos tenerè adamabat, vt sapi-  
 non modò nostros, sed etiam alienos ipse-  
 rum causâ reprehenderet, cùm videns  
 eum ita ipsos insequentem dicerent: *Sine Pe-  
 ter, sine illos abire; quippe tam improbi sunt,  
 vt noua quæ illis dedisti vestimenta, ludendo  
 absumpserint.* Ille autem talibus verbis fici-  
 ficiebatur, vt eius quodammodò transfor-  
 anima videretur. Adeò ferre non poterat, vt  
 suus Dominus, quem in personis pauperum  
 tamquam in viuis eius imaginibus contem-  
 plabatur, talibus appetitus iniurijs vilesceret.  
 Vni quidem certè è nostris ita semel respon-  
 dit: *Ergone, mi Frater, in isto paupere nihil  
 aliud consideras, quàm quatuor viles pannos,  
 quos super illum vides? Et non consideras  
 quatuor illis pannis veram Domini Iesu Chri-  
 sti personam posse delitescere? quemadmodum*

*S. Gregorio accidit, qui sæpius eleëmofynam  
Angelo dedit, arbitratus se alicui mendico dare.*

Non rarò etiam in illa ipsa eius anni calami-  
tate vsu venit, vt cuiquam istorum pauperum  
occurrrens malè vestito, & præ frigore tre-  
mebundo, tanta miseratione tangeretur, vt  
sublatum ab humeris suis pallium in illius  
humeros iniiceret, sicque per vias gradiens  
vel ad Nosocomium deduceret, vel ad Ædes  
nostras, in quibus Xenodochium iusserat  
adornari. At si fortè plueret, aut si duos in  
via pauperes offendisset, tum pallio ad latera  
ipsis superiniecto, ad eum ferè modum, quo  
gallina pullos suos sub alis operit, domum  
deducebat. Si plures autem occurrerent,  
idem à socio suo factitari mandabat. Ali-  
quando ad eum allatum est, pauperem quem-  
dam in cloaca iacere prostratum: confestim  
ergo ad illum, quantumuis sordibus & cœ-  
no obsitum, inde extrahendum accelerat,  
extractum ad Xenodochium ducit, sordes  
eluit, denique elutum ac mundatum in le-  
cto componi iubet, eoque modo vitam illi  
conseruat.

## CAPVT XXVI.

*Camillus in cryptis et stabulis vrbis Romæ pauperes peruestigat.*

**H**Is charitatis officijs non contentus Camillus, cum multos Romæ in cryptis & stabulis mori intellexisset, fieri iussit duo ferebra ad morem Romanum, & perfoluto quotidie quatuor baiulis pretio, cœpit cum illis ad ea loca pergere, & octo præterea nostris ad perquirendos pauperes instar canum venaticorum huc illuc mittere. Ferebat autem ipse, vti & illorum quisque, vnum sacculum panum, & vini lagenam, & ouarentia, & dulciaria, & eiusmodi alia ad eos corroborandos ac reficiendos: quorum multi in cisterna Septem-cella appellata, & in maiore palatio reperiabantur ita frigore conglaciati, & fame extenuati, vt vix ad aliquid gustandum, forcipibus (quas in eam rem deportabant) efficere possent vt dentes didicerent. Hic secum vnusquisque animo concipere potest, quo pacto ista misera corpora in locis humidis ac subterraneis, media hieme, humi strata, sine cibo, sine lignis, durare possent: vbi si focus fortè accenderetur, ille ipsi multò magis eos torquebat, ob continuum fumum qui illos propè excæcabat. Inter alia

verò

verò miseratione digna , quæ in iisdem locis  
repererunt , vnum fuit; quòd cum mortuus  
ibi iaceret adolescentulus quidam , & pater  
quoq; ipsius similiter esset moriturus, hic pla-  
nè volebat super proprij filij corpus cõmori,  
& eius cadauere vti pro cervicali. Vnde non  
mediocriter fuit laborandum, vt à malo pro-  
posito , simul & à fœtore , abstraheretur.  
Cunctos ergo huiusmodi homines Camil-  
lus, eiusq; socij adiutum ac refocillatum  
ibant : & quos magis afflictos, maioriq; ope  
indigentes cernebant , ad Xenodochia de-  
portandos curabant, aut si locus ibi non sup-  
peteret, in domus nostræ Valetudinariũ mit-  
tebant; vbi iisdem , quibus nostri domestici  
ægroti, cibariis refici iubebantur. Verum-  
enimverò quantos ibi dolores persenserit  
Camillus , quantos gemitus atque suspiria in  
illis cauernis , aut potiùs in illis viuorum ho-  
minum sepulchris, impar est calamus expri-  
mendo, & vinci se rerum magnitudine con-  
fiteatur. Permitteremus igitur , vt illæ ipsæ ca-  
uernæ, tot & tantis eius suspiriis concalescete,  
debitam rei fidem faciant , & minimè du-  
bium testimonium ferant. Nunc à cauernis  
ad stabula procedamus. In stabulis igitur  
non pauci quoque pauperes & infirmi nu-  
merabantur , qui in fimo , qualicumque ca-  
lore allecti, velut sepulti iacebant : quos  
H 3 cum

118 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
cùm vidēret Camillus illuue, fœtore, fœditibus  
plenos, non poterat quin maximo dolore cordis  
disfrumperetur, atque in grauissimos gemitus erumperet:  
dum scilicet oculis suis coram spectaret ista misera Iesu Christi  
membra præ nimia egestate eò vsque redacta esse,  
vt quasi indigni morte, & terræ sepultura,  
cogerentur in ipso fimo etiam viuū sepeliri.  
Horum talium corpora deterfis sordibus  
perpurgabat; tum aliquid esculenti poculentive  
ad refrigerationem in os immittebat,  
cauponas ad oua coquenda vt plurimum  
adibat, postremò strictè amplexatus  
secum abducebat domum. Semel autem accidit,  
vt octo minimum vno in loco inclusos iuxta  
portam Flumentanam reperiret, eosque fame  
& frigore iam semimortuos: hortatur ergo  
Camillus vt aliquid resumant animi, & secum  
vnà ad Xenodochium cuncti veniant: placet  
illis conditio, eunt vnà, sed inter eundum  
ad S. Spiritus, cùm ad S. Rochi peruenissent,  
ecce vnus, præ nimio languore vltèrius  
progredi non valens, deficit, & labitur.  
Inter hæc conspicit Camillus prætereuntem  
rhedam viris nobilibus plenam: igitur dum  
nihil aliud occurrit quod potius agat,  
cum simplicitate eos adoriens, *Quasi vos,  
inquit, domini mei, vt propter Dei amorem  
hunc pauperculum velitis in rhedam vestram*

stram assumere, & vsque ad Xenodochium deportare. Nec mora: viri illi verè generosi, piam Camilli petitionem reueriti, in terram cuncti descendunt, & totam illi rheadam concedunt. Ipse verò ingentes se debere illis gratias professus, absque alia in præsens carimonia omnes suos pauperes in rheadam leuat, & velut triumphans gaudio, perhilaris ad Xenodochium vehit. Aliàs obuiam Romæ factus magno pauperum gregi, qui vinctis manibus bini & bini (propterea quòd vagabundi essent, nec in sancti Sixti Xenodochio manere voluissent) à satellitibus ad ripulam ducebantur, vt ibi naue conscensa ex vrbe amandarentur: quod prudentissimè quidem à Magistratibus constitutum erat, sed visum tunc Camillo fuit ita rem geri, ac si omnes isti miseri ad mortem ducerentur. Quare insolito animi dolore correptus consequi eos cœpit, & super eorum calamitate atque miseria lugere ac plangere: quin ad singulos ferè passus iustitiæ administratos (quibus datum in mandatis fuerat, vt in nauim istos compellerent) precari ac supplicare, tantisper vt expectarent, donec ad Illustrissimum Gubernatorem pro illis intercessurus accessisset: sperare enim se ab insigni illius clementia quiduis impetraturum. Nolente autem administro eius

H 4 auscul-



auscultare dictis, nec minimum indulgere temporis, bonus Pater ardentissimo zelo percitus, & velut hominis istius inhumanitati indolens, *Tam multa*, inquit, *Iudeorum millia Roma nutriuntur: non posset etiam pauculis Christianis exiguus relinqui locus?* Pro-mittebat autem suis impensis se eos aliturum, quotiescumque sibi essent derelicti: & sperabat posse in vrbe Roma, matre omnia pietatis, tantum reperiri terræ, quantum ad eos suscipiendos, & in suis condendos visceribus sufficeret. Verùm administer hæc omnia surdis excipiens auribus, tantò magis instabat pauperes in nauigia compellere, quantò plus ille conquerebatur. Vnde maiori succensus zelo Camillus, & aliquam tandem gratiam se impetraturum sperans, cum sancta quadam violentia pauperes derinebat, ne in naues conscenderent. Tum verò ille grauius indignatus, cum furore interminatur, se ad triemes eum amandaturum, si vrtrà, quò minùs altioris Potestatis mandata exequatur, impedire pergat. Ast Camillus quacumque demum via eum vincere percipiens, cum humilitate & planctu, plurimè mortalibus ibi præsentibus, in genua pro-cidit, & brachiis in crucem compositis, maiorem in modum precatus est ne illos amandaret, aut saltem aliquos è debilioribus &

peius

peiùs affectis sibi relinqueret. Tum denique victus minister, atque emollitus, duos ei concessit, quos Camillus tamquam morti vicinioreselegit, & inter tot alios assumpsit, tristis quidem sanè de damno reliquorum: quos ipse de fluminis ripa sublata voce consolabatur, & ad moriendum saltem in gratia Dei (quandoquidem nullum aliud in hac misera vita superesset remedium) exhortabatur. Tum verò erectis in cælum oculis diuinam Maiestatem ardentè deprecabatur, vt tot homines opera manuum suarum miseraretur, & iram suam à sancta illa ciuitate deinceps auerteret, aut certè oculos illi suos occluderet, ne tantam ruinam deinceps conspiceret. In ipso autem nauigij digressu videbatur illi cor suum in pectore discerpi: tantus eum dolor opprimebat. Ibi autem immotus perstabat, eos respectans, & quasi Deo animas extremùm commendans, donec loci distantia visum eriperet. Postea verò suos binos pauperes præ se agens domum duxit, vbi complures dies haberi eorum curam iussit, sicque vitæ & saluti restituit. Cuius facti haud ita multò post dominus Mattheucus, Romæ tum Gubernator, eum leniter reprehendit, admonendo ne aliàs adeò se transferri zelo permetteret, vt contra altiores Potestates veniret, eorumque decreta impe-

H s                      dicit.

diret. Camillus autem postulatâ illius facti  
veniâ, ibat gaudens, quòd aliquam, pro amo-  
re pauperum Christi Iesu, correptionem pas-  
sus esset.

## CAPVT XXVII.

*Camillus dictis pauperibus in sancti Sixti  
Nosocomio & in horreo Rhedarum opi-  
tularur.*

**Q**uamuis in calamitoso illo tempore  
omnes ferè Domini Cardinales, & alij  
Prælati atque Religiosi sua erga dictos pau-  
peres viscera misericordiæ aperuerint, varia-  
que Xenodochiola in suis ipsorum ædibus  
suscitarint, nihilominus cum aduerteret Ca-  
millus, in sancti Sixti Nosocomio turbam  
ingentem coaceruatam, optaretque vt debi-  
tis saltem muniti Sacramentis excederent  
(nam intra paucos dies amplius quàm tria  
millia decesserant) iuit ipse cum aliis octo è  
nostris ad eorum curam suscipiendam. Tan-  
tus porrò inibi tamque atrox exhalabat fœ-  
tor, vt magnum haud dubiè Domini fuerit  
miraculum, quòd non omnes vitam amife-  
rint, tres autem dumtaxat amiserunt, quo-  
rum hæc sunt nomina, Horatius Totius Flo-  
rentinus, Horatius Zoppillus Neapolitanus,  
&

& Benedictus Michaël Appulus, qui verè  
dici possunt instar fortissimorum marty-  
rum inusitato tormentorum genere animas  
profudisse: quandoquidem non illa tantùm  
fœtoris graueolentia, sed etiam infinitis pe-  
diculorum punctationibus ac morsuunculis  
torti & extincti sint. Nam tantus erat isto-  
rum vermiculorum numerus, vt licet omnes  
ferè istorum miserorum panniculos & sarcu-  
nulas nostri adussissent, nihilominus tanta  
ibidem loci abundaret aliorum residuorum  
copia, vt & super mensam, & super panem  
ipsum reperirètur. Id quod adeò nostrorum  
conturbauit euertitque stomachum, vt le-  
thalissima febre correpti, numquam exinde  
vllum cibi genus retinere potuerint: vnde &  
ipsi ex iucunda vitæ suæ in salutem anima-  
rum profusæ conscientia, magnum animo  
percipientes gaudium, paucis diebus ad Do-  
minum emigrarunt. Reliqui porrò omnes,  
vno excepto Camillo, cū longis & periculosis  
conflictati morbis, magnum & ipsi vitæ dis-  
crimen adierunt. Cū autem ex illo ingenti  
atque intolerabili fœtore, qui è Xenodochio  
illo emanabat, magna aëris infectio ac pesti-  
lencia Romæ timeretur, vnum horreū in vi-  
co Rhedarum, operâ Camilli, quem summus  
Pótifex huic præfecerat negotio, in mali auer-  
sionem conductum est. Illuc ergo, tamquam  
in lo-

in locum à populi frequentia & habitatione  
 semotum grex ille pauperum traductus est.  
 Vbi Camillus perinde atque alibi fecerat,  
 ipsorum curam toto duorum mensium spa-  
 tio habuit: in quos sex millium aureorum  
 summam vt minimum insumpsit, quos post-  
 eà partim ipse Pontifex, partim populus Ro-  
 manus persoluit. Verùm quis eius in illa ad-  
 ministracione diligentiam, quis labores & de-  
 fatigationes dignè eloqui, aut pro merito re-  
 censere valeat? Tametsi enim istiusmodi pau-  
 peribus nihil in mundo vilius, nihil vsquam  
 despiciabilius esse videretur, ipse nihilominus  
 sancti amoris oculis eos intuens, tanti eos esti-  
 mabat, tam sedulò curabat, atque si omnes  
 Principum essent filij, non modò omnia illis  
 necessaria exactissimè atque integerrimè  
 suppeditari iubens, sed etiam vbi grauior pre-  
 meret infirmitas, in ipsorum pistis aut iuscu-  
 lis gemmarum pulueres, aut alia similia intri-  
 ta immitti imperans. Id tamen in confesso  
 est, nulla in re tantum laboris ac fatigationis  
 persensisse, quàm dum quotidie urbem Ro-  
 mam, totus limo ac cœno oblitus, panem ac  
 frumentum quæritando percurreret. In quo  
 genere officij dum versaretur, semel conti-  
 git, vt deficiente pane dominum Centurio-  
 nem, annonæ tunc Præfectum, conuentum  
 volens, in cubili eum inuenerit: quem cum  
 esset

esset deprecatus, vt iuberet sibi aliquot tritici  
mensuras diuendi, & ille ob ciuitatis penu-  
riam, cui aliàs defecturam esse annonam di-  
cebat, constantiùs recusaret; tum Camillus  
magno impulsus zelo, vocem efferens terribi-  
lem, *Illustrissime Domine*, inquit, *si frumenti*  
*huius defectu aliqui è meis pauperibus crucien-*  
*tur, aut moriantur fame, ego protestor coram*  
*Deo, & te ante eius tremendum tribunal in ius*  
*voco, vbi strictissima tibi reddenda erit ratio.*  
Quibus dictis abiit. Tanti autem hæc verba  
fuerunt ponderis, vt pauefactus bonus Præ-  
latus è vestigio mandauerit, vt statim quan-  
tumcumque frumenti posceret, ei tribuere-  
tur. Aliàs autem, cum similiter in eodem Xe-  
nodochio panis deficeret, recordatus Camil-  
lus domi nostræ vnum farinæ sacco restat-  
re, qui in extremam reseruabatur necessita-  
tem, ipse cupidus pascendi in suis pauperibus  
Domini Iesu, & farinæ sacco in cæli hor-  
reum transferendi, cum duobus baiulis do-  
mum accelerat, & sacco asportat. Quod  
P. Franciscus Propheta, penes quem tunc  
erat domus cura, & quidam alij satis ægrè  
ferentes, inter sese aduersus illum murmu-  
rabant, mussitabantque, eum, vt infirmis  
Rhedarum non deesset panis, nihil curare, si  
in tanta annonæ charitate domum propriam  
relinqueret rebus necessarijs destitutam. Id  
verò

verò percipiens Camillus, seuerè illos atque  
asperè increpuit, homines modicæ fidei, &  
puffillæ charitatis eos appellitans, quippe non  
confidentes in Domino, qui & volucres cæci  
pascit, quæ nec arant nec ferunt. Quibus di-  
ctis rubore eos perfudit. Verùm illa Dei ad-  
mirabilis prouidentia toties erga hanc Con-  
gregationem euidentibus experimentis pro-  
bata, vix illo farinæ pauxillo ex edibus elato,  
confestim nobis pistorem vnum misit tam  
beneuolum, tam beneficum, vt quotidie an-  
te diluculum, quamdiu annonæ durauit ca-  
ritas, corbem panum ad nos deportaret, qui  
tam albi erant, vt nostri numquam se ha-  
buisset meliores meminissent. Quod verò  
rem facit admirabiliorem, est, quòd idem pi-  
stor non numerato pretio eos venderet, sed  
vsque ad subsecuturam annonæ vilitatem,  
quâ ipsi commodè posset satisfieri, crederet.  
Quamquam nec in ipsa difficultate annonæ  
per Dei gratiam ( licet ipsa Congregatio in  
paupertate viueret ) quidquam aliquando ad  
victum defuerit: siquidem missi è nostris ad  
emendicandum, numquam vacui & sine pa-  
ne domum redierunt. Quin & horum non-  
nulli asseuerarunt, certos Iudæos locupletes  
ea charitate permotos, quam nostros exhibe-  
re permagnam in dicto horreo conspicie-  
bant, ipsis sacculos suos panibus repleuisse.

In

In quo quidem horreo tantus pauperum numerus extinctus est, vt iam impletis omnibus vicinorum templorum cœmeterijs, coactus fuerit Camillus cum facultate Pontificis ibidem locum sepulturæ designare, & campum sanctum instituere. Tandem illius labores & fatigationes tam assiduæ & tam graues extiterunt, vt nonnumquam vesperi domum rediens, præ multa lassitudine vix posset exulceratam tibiam (adeo grauis eum dolor torquebat) in lectum tollere. Sed antequam ab hoc sermone abeam, vnum factum mihi enarrandum est, cui fortasse multi fidem derogabunt, sed de hominibus desperatis, meo quidem iudicio, & hoc ipsum & alia illo peiora credi possunt. Inter alios igitur, qui ad dictum Nosocomium curationis causâ adibant, accessit homo quidam Picenus, vt apparebat, aut Æmilianus, ad quem cum Sacerdos se applicuisset excipiendæ confessionis gratiâ, *Nolo*, inquit ille, *confiteri. iam enim desperatus sum, & quidem tam corpore quam animâ totus diaboli*. In cuius confirmationem addebat hanc donationem à se scripto factam esse, & subscriptionem quoque sua manu & proprio sanguine exaratam, quem ex vna frontis vena detraxisset. Hac re attonitus Sacerdos valde instabat, vt illum ab hac mentis obstinatione omni modo dimoueret: sed

sed



sed ille semper respondebat, nullam sibi esse nec habere velle cum Deo partem, sed viuum & mortuum diaboli esse velle. Cùm autem nox iam adesset, aliquid ei quietis (quandoquidem interdium satis acriter eum impugnassent) ad somnum capiendum indulserunt, vt postridie manè ad eum denudè impugnandum aggredierentur. Sed nondum erat media nox, & ecce, dum is, qui ad eius custodiam à Patre assignatus fuerat, tantisper ad alterius infirmi ministerium diuertisset, moxque reuersus esset, hominem desperatum neque in lecto suo, neque alibi reperit, sed tantummodò pileolum, quem capite priùs gerebat, & indufium, vtrumque signatum notâ Xenodochij S. Ioannis Lateranensis. Vnde custos ille maiorem in modum perterritus, statim omnes aduocat domesticos quærunt illi hominem, scrutantur omnia, vbique peruestigant, nihil reperiunt: hoc tantum pro certo tenent, eum totum à diabolo, tam corpore quàm animâ, vti dixerat & palàm fecerat, abreptum esse. Quod eò certius habuerunt & confirmatius, quòd locus nullus ab ijs repertus fuerit quâ potuisset euadere, non solùm quòd portæ omnes & fenestræ essent obseratæ, sed etiam quòd fenestræ cancellis ligneis, & clathris ferreis obsepatæ essent. Accedit, quòd illo ipso tempore, quo

ille

iste ablatuſ eſt, Confefſarius qui dormitum  
conceſſerat, viſuſ ſit in ſuo cubiculo ingen-  
tem terræ motum perſentire, quo exper-  
gefactuſ magnum vidit igniſ fulgorem: vnde  
arbitratuſ conflagrare Noſocomium, poſteà  
deprehendit iſtum hominem circumquaque  
perquiri. Fuerunt poſteà eiſdem hominiſ  
deſperati veſtimenta omnia, quemadmo-  
dum & aliæ reſ omneſ aliorum mortuorum,  
Iudæiſ diuendita.

## CAPVT XXVIII.

*Gregorius XIII. Pontifex concedit Pro-  
feſſionem, erigendo Congregationem in  
Religionem. Camillus eligitur Generaliſ.*

**P**oſtquam calamitaſ illa mortifera deſijt,  
& annonæ difficultaſ ſimul laxata eſt,  
aut potiùſ poſteaquam nulli ampliùſ ſuper-  
fuere qui morerentur; Camilluſ Profeſſionis  
negotium denuò exſuſcitauit. In quo poſt  
multaſ preceſ à tota Congregatione ad  
Deum ſuſaſ, tandem ſupremæ Maietaſti pla-  
cuit, vt nullum ampliùſ reſtaret impedimen-  
tum. Siquidem Gregoriuſ XIV. Pontifex,  
audita Cardinaliſ Mondoui relatione, motu  
proprio & propenſa voluntate Congregatio-  
nem approbavit, confirmavit que; & in Reli-  
gionem

gionem liberam, nulliſque alteri Religioni aut regulæ obnoxiam aut ſubiectam erexit: conceſſa etiam Camillo eiſque ſocijs gratia & facultate nuncupandi quatuor vota ſolemnia, hoc eſt, Paupertatis, Caſtitaſis, Obedientiaſis, & Perpetui infirmis, etiam peſte infectis, miniſterij. Quam Religionem multis quoque priuilegijs, gratijs, fauoribus, immunitatibus, indulgentijs, alijsque prærogatiuis, quæ ſingillatim enarrare nimis longum eſſet, abundè locupletauit: de quibus remitto ad ipſam Bullam Pontificiam, datam XXI. Septembris anno Domini M. D. XCI. eius Pontificatus anno primo, eodem & ultimo. Hoc etiam diuinæ prouidentiaſis clarum eluxit argumentum. Nam cùm expeditionis illius Bullæ cura P. Blaſio nominatim demandata eſſet, nihilque deeſſet aliud, quàm vt libellus ſupplex confirmandus offerretur, viſus eſt Camillo is Pater hac in re aliquantò præcedere: vnde præſagus eorum quæ interuenire poſſent, tamquam diuino ſpiritu aſſeſſatus, petit ſibi libellum dari, eumque ipſemet ad Datarium detulit, nihili æſtimans ab eo nimis importunus & ſtudioſus reputari. Ita hic libellus à Pontifice ſignatus fuit, vno medioque die priuſquam in eam incidereſt infirmitatem, quæ ipſum ad vitam meliorem tranſmiſit, xv. Octobris anni M. D. XCI. ita

vt si Camillus die vno tardiùs libellum detulisset, periculum incurfura fuisset Congregatio, ne inter Religiones deinceps non adscriberetur, aut certè ne longa annorum spatia, priusquam id fieret, expectanda forent; præsertim quòd Gregorio Pontifici successerit Innocentius IX. qui alienum se à nouarum Religionum confirmatione ostenderat, & Innocentio Clemens VIII. qui non modò alienum à nouis Ordinum Religiosorum foundationibus se exhibuit, sed etiam, magno studio sanctæ reformationis, potiùs hoc voluisse visus est, vt aliquæ ex antiquis desinerent. Porrò Bullâ ipsâ, vt dictum est, expeditâ, & Gregorio XIII. vitâ functo, Innocentius IX. Pontifex creatus est eiusdem mensis vigesimo nono, sub cuius Pontificatu desiderans Camillus suæ Congregationi solidum dare firmamentum, decreuit prima qua posset opportunitate solemnem edere Professionem. Qua in re visa est ipsa quoque sanctissima cæli Regina voluisse palàm mundo facere, hanc Congregationem totam sua ope à Filio esse impetratam: quandoquidem summo perè optante atque annitente Camillo dictam Professionem facere ipso S. Michaëlis Archangeli, cui deuotissimus erat, festo die, atque idcirco quantam maximam diligentiam adhibente, vt tempestiuè expedita

I 2                      esset

132 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS  
esset Bulla; nihilominus sanctissima Virgo,  
cuius patrocinio tot antè annis idem ipse Ca-  
millus ad Deum conuersus fuerat in die Pa-  
rificationis ipsius, & in cuius Assumptionis  
die cælitus inspiratum fundandæ Congre-  
gationis propositum conceperat, & in die  
Natiuitatis ipsiusmet initium ei dederat, vo-  
luit, inquam, ipsa quoque Virgo sanctissima,  
diuersis obiectis impedimentis eò vsque rem-  
protrahere, donec Professio die ipsa immac-  
ulatæ Conceptionis suæ ab eo solemniter  
ederetur. Sed cùm ad hunc actum, nisi facti-  
prius Generalis electione, non posset perue-  
niri (id enim Bulla exigebat) atque ipse in-  
terim vereretur, ne istud onus in humeros  
suos incideret, omnibus domesticis in vnum  
congregari iussis denuntiauit, postero die fu-  
turam Generalis electionem; atque etiam in-  
ter alia commonefecit, vt de ipso nequa-  
quam cogitarent: quippe qui ad eiusmodi  
gubernationem se inidoneum minimeque  
aptum cognosceret, non solùm quia homo  
simplex esset & idiota, sed etiam quòd ex ti-  
bia laboraret, & se satis infirmum & labori-  
bus quasi iam succumbentem sentiret. Quod  
etiam exemplum afferebat rusticanorum, qui  
dum vident ligones suos attritos, ac ferè iam  
consumptos, ijs non vtuntur ampliùs, sed in  
angulum quempiam proijciunt, ibi manife-  
ros:

ros : ita secum agi precabatur, vt ipsum scilicet tamquam veterem ligonem stare in aliquo angulo sinerent, alijs subditum, sibi que ipsi attendentem, quod & se totum ministerio pauperum addiceret. Verum Patres ad nihil aliud nisi ad eius bonitatem spectantes, cum essent vniuersi triginta sex ( hoc est ij solummodò qui Crucem in Romano domicilio gestabant) postridie, qui fuit septimus Decembris anni M. D. X C I. eum elegerunt Præfectum Generalem, eo officio ( quemadmodum in Bulla foundationis constitutum est) tota vita functurum. Deinde ipse Generalis eos omnes nominatim recitauit, qui postero die cum ipso vnà Professionem essent facturi, illis tantummodò electis, qui tum Romæ degentes, iam duos annos in Congregatione transfegerant. Illo etiam ipso die per actum publicum Notarij renuntiavit Firmo Caluo sexcentos illos aureos, quos illi ad Sacerdotium aspiranti, in titulum patrimonij assignauerat. Cupiebat enim in posterum humilem in sancta paupertate vitam exigere, & nudus nudum Christum sequi.

## CAPVT XXIX.

*Camillus & Socij solemnem edunt  
Professionem.*

**M**ANÈ diei insequentis, quæ erat Do-  
minica, & Decembris octaua æ-  
ni M. D. XCI. die purissimæ Conceptionis  
Mariæ semper virginis, in nostra Æde sanctæ  
Magdalenæ (vbi summus Pontifex omni-  
bus qui præsentibus huic solemnæ Professioni  
adescent, plenariam illo die indulgentiam  
concesserat) in maxima hominum frequen-  
tia, post primi Sacri ab Archiepiscopo Ep-  
dauri celebrationem, Camillus flexis coram  
illo genibus, & præmissa Fidei confessione  
solemnem Professionem fecit in hanc for-  
mam: *Ego Camillus de Lellis profiteor & so-  
lemniter voueo Domino Deo nostro, & tibi il-  
lustriſſimo Domino, sanctiſſimi Domini nostri  
ex concessione Apostolica ad hoc speciale munus  
locum tenenti, coram sacratissima Virgine eius  
Matre, & vniuersa Curia celesti, perpetuam  
Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, &  
Perpetuò inservire (tamquam præcipuum nostri  
instituti ministerium) pauperibus infirmis  
quos etiam pestis inceſſerit, iuxta formulam  
uendi contentam in Bulla Congregationis  
ministrantium infirmis, ac in eius Constitutione*

bus auctoritate Apostolica tam editis iam quam  
in posterum edendis,

Quam Professionem admisit Archiepi-  
scopus his verbis: *Et ego Paullus Alberus,*  
auctoritate qua fungor, accepto tuam Profes-  
sionem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus  
sancti. Amen.

Posthæc Camillus in eadem Archiepisco-  
pi sede confidens, alias omnes suorum So-  
ciorum Professiones excepit, iuxta ordinem  
quo singulos Notarius aduocauit, quas ipsi  
hoc modo protulerunt: *Ego N. profiteor &*  
*solemniter voueo Domino Deo nostro, ac tibi*  
*Reuerendo Patri Generali, qui Dei locum obti-*  
*nes, coram sacratissima Virgine eius Matre,*  
*& vniuersa Curia caelesti, perpetuam Paupertate-*  
*tem, Castitatem, & Obedientiam, & Perpetuò*  
*inservire (tamquam precipuum nostri instituti-*  
*miniisterium) pauperibus infirmis, quos etiam*  
*pestis incesserit, iuxta formam viuendi con-*  
*tentam in Bulla Congregationis Ministran-*  
*tium infirmis, ac in eius Constitutionibus au-*  
*thoritate Apostolica tam editis iam quam in*  
*posterum edendis.*

De quibus omnibus confecit actum pu-  
blicum Ioannes Priscus de Iuuenalibus, No-  
tarius Capitolinus.

Qui autem dictam fecerunt Profes-  
sionem, præter Camillum, fuerunt hi sequen-



tes: P. Franciscus Propheta, P. Blasius Op-  
 pertis, Angelinus Bruggia, Stephanus à Mu-  
 tina, Franciscus Lapis, Ioannes Baudinghus,  
 Nicolaus Clemens, Antonius Barbarossa,  
 Prosper Fontecchia, Lucas Antonius Cata-  
 lanus, Iacobus Antonius de Meo, Gaspar  
 Macarius, Paullus Rende, Franciscus Piz-  
 zornus, Ioannes Anellus Cocozellus, San-  
 ctius Cicatellus, Godefridus Stella, Baltas-  
 far Fonsca, Ioannes Antonius Mutius, Sci-  
 pio Carossa, Antonius Peruccius, Marcellus  
 Mansius, Alexander Gallus, Hannibal Ra-  
 mondinus, & Iulius Cæsar Altauilla.

Finitis deinde omnibus Professionibus,  
 Camillus rem diuinam fecit, & sacrâ Com-  
 munionem omnibus nouis Professis, tam  
 Sacerdotibus quàm non Sacerdotibus dil-  
 pertiit. Vesperi quoque in Congratulationis  
 signum cunctos vniformiter magna cum ani-  
 mi sui voluptate est complexus. Ad finem  
 verò congratulationis idem Camillus flexis  
 in terra genibus, dixit se denuò penitus ab-  
 dicare quidquid vniquam habere aut possi-  
 dere in hoc mundo posset, professus se iam  
 statim commodatò petere, & eleëmofynæ  
 titulo postulare à tota Religione hinc præsen-  
 te illam vestem & indusium, & alia quibus  
 tum vestitus erat: neque vniquam induci  
 potuit, vt à terra surgeret, antequam singuli  
 noui

noui Professi ei respondissent se illi concedere, & eleëmofynæ titulo tribuere quæcumque circumdata corpori indumenta gestaret, sed & lectum, & quidquid in suo haberet cubiculo. Ipsius autem exemplo ceteri quoque similiter flexis humi genibus se omnibus abdicauerunt. Et multi illorum magno cum feruore ad sua currentes cubacula, quidquid habebant corripuerant, atque ad Camillum afferentes, omnia ad eius pedes cum perfecta sui exspoliatione abiecerunt. Erat sanè res admiratione digna, de quàm exiguis rebus eos teneret religio ac scrupulus: cum & scopas, & calceos, & libellos Precum, & rosaria, & alias quaslibet etiam minimas reculas, vsque ad filum, & acus, & panni particulas, quibus aliqui suas refarciebant vestes, ad sui Generalis pedes apportarent. Paucis ex hinc diebus iuerunt cuncti pariter ad septem Urbis Ecclesias Deo Opt. Max. de tot receptis hæctenus beneficiis gratias actum; interque eundum, tam sublimiter de mirabilibus Dei in huius plantæ fundatione differuit Camillus, vt tandem diceret nescire se omnino, neque quomodo nata, neque quo pacto in mundum esset introducta. Præcipuè verò eius ardor sermonis tum emicuit, cum in vnam cryptam ingressos iussit omnes considerare, atque ad eos

138 VITÆ P. CAMILLI DE LELLIS LIB. I.  
dicere adorsus plenum feruoris sermonem  
habuit de fiducia in diuinam prouidentiam  
semper firmanda, assumptis in argumentum  
illis Domini Iesu verbis, *Nolite timere pusillus grex.* Animos autem illis acuebat ad persequendam generosè perfectionis inuicam modò semitam, & semper tendendum ad anteriora, neque vsquam cessandum: atque inter alia se spem firmam habere indicabat, affore aliquando tempus cùm hæc parua simplexque familia magnis incrementis auctâ, & toto mundo diffusa cerneretur; ita ut quidam præ gaudio & magna animi voluptate lacrymantes, etiam ad terras infidelium atque barbarorum adeundas, spe potiundi martyrij, & pro Dei amore in seruitio peste infectorum emoriendi, promptos se offerrent.

